DE CONIUNCTIVO PLAUTINO.

I, II.

COMMENTATIO ACADEMICA

QUAM

VENIA AMPLISSIMI ORDINIS PHILOSOPHORUM LUNDENSIS

PRO GRADU PHILOSOPHICO

PUBLICE DEFENDET

CAROLUS THULIN

FIL. LIC.

IN AUDITORIO VI A. D. III KAL. MAIAS MDCCCXCIX

H. X A. M.

LUNDÆ.
APUD HJALMAR MÖLLER BIBLIOPOLAM UNIVERSITATIS.

LUNDÆ MDCCCXCIX. TYPIS EXPRESSIT E. MALMSTRÖM.

CAROLO MAGNO ZANDERO.

Index.

Pars I.

Pars II.

In versibus afferendis hanc adhibui editionem:

T. Macci Plauti Comoediae ex recensione Georgii Goetz et Friderici Schoell. Lipsiae 1893—6. (G.-S.)

In libris citandis has:

T. Macci Plauti Comoediae recensuit — Fr. Ritschelius sociis operae assumptis Gustavo Loewe Georgio Goetz Friderico Schoell. Lipsiae 1884—94.

Plauti comoediae recensuit et emendavit Fr. Leo. Berolini 1895—96.

I.

De coniunctivo obliquo et coniunctivo qui est apud infinitivos.

Ut propriam or. obl. his quidem verbis definiunt *Lattmann et Mueller* [1]: *„Werden die Worte oder Gedanken Jemandes . . . erzählend mitgetheilt (referiert), so heisst diese Darstellungsweise or. obl“.* At nihilo minus iidem intra orationem obliquam dicunt inveniri et hunc indicativum: Cic. Cat. I. 8. *Video esse hic in senatu quosdam, qui tecum una fuerunt,* et multos similes, quos p. 293 afferunt. In quibus scilicet exemplis prorsus non narrando referuntur verba aut sententiae alicuius, sed, quid sentiat, ipse directe pronuntiat is qui loquitur. Quo enim iure magis „narrari“ dicunt verbis *„video esse quosdam“* quam his: *„sunt quidam“?* Illud quidem ex. in proximis editionibus omiserunt, sed similia aut retinuerunt (ut Cic. am. 11. *Memini Catonem anno ante quam mortuus est mecum et cum Scipione disserere)* aut addiderunt (ut in ed. 5, 1884, p. 255 b. *Tum cum in Asia res magnas multi amiserant, scimus Romae solutione impedita fidem concidisse).* Quibus satis ostendunt se definitione illa etiam eam orationem subiunctam complecti, in qua quis eloquatur, quae iam sentiat.

Ab iis *Kühner* [2]) non dissentit, nisi quod in ipsam obliquae orationis definitionem diserte huiusmodi exempla recipit: § 237, 2 et § 239, 1. *„Die Nebensätze der dir. Rede werden in der indir. Rede als im Geiste entweder des Redenden selbst* (der I p.) *oder eines Anderen* (II u. III p.) *gedacht, durch den Konjunktiv ausgedrückt“.*

Sed Kühnero tam latis finibus orationem obliquam circumscribenti non contigit, ut usum coniunctivi obliqui recte definiret. Nam cum § 182, 3 haec statuit: *„Der Konj. muss in den Nebensätzen — stehen, wenn der Gedanke als Ansicht des Redenden oder eines Anderen be-*

---

[1]) I. Lattmann u. H. D. Müller Lat. Schulgr. 1872[3] § 138. Hanc enim editionm adhibeo, in qua exempla unde sumpta sint notatur — nisi quae in brevioribus editionibus post correxerunt.

[2]) Kühner Ausf. Gr. d. lat. Sprache.

zeichnet werden soll", huic normae contradicunt talia exempla, quale est

Pl. Truc. 190. *Melius iam fore spero, ubi te videbit,*

in quo ex. cum licentia quadam indicativus adhibitus esse Kühnero videtur (in inf. p. 1035), quamquam in tota lingua latina diligenter examinanti indicativus iuxta cum coniunctivo modus legitimus esse reperietur in periodis, quae a I personae praesentis verbis pendent.

Una cum Kühnero igitur peccat *Draeger* [1]) cui omni ratione carere videtur hic indicativus:

Poen. 950. *Deos deasque veneror —*
Ut quod de mea re huc veni rite venerim,

quem appellat *„ganz abnorm"*.

Sed cum non quadrent verba illa Kühneri: *„Der Konj. muss* etc.", ne modestiora quidem verba Lattmanni et Muelleri verum assequuntur, § 142 *„Auch können Nebensätze aller Art in obliquer Beziehung erscheinen, wenn der Inhalt derselben als Gedanke oder Aussage des (gram. oder log.) Subjekts des Hauptsatzes bezeichnet werden soll.* Nam licet recte ita dici possit de exemplo huiusmodi:

Merc. 923. *Mater iratast patri —, quia scortum sibi*
Ob oculos adduxerit,

haec lex non valet de tali enuntiato quale:

Aul. 105. *Discrucior animi, quia — abeundumst.*

Nulla enim ratione in tali periodo licet sententiam secundariam coniunctivi auxilio ad subiectum primariae sententiae vel ad mentem eius qui loquitur referre.

Etiam alia de causa reprehendenda sunt haec verba Lattmanni et Muelleri. Nam quod dicunt *„Aussage oder Gedanke des (gram. od. log.) Subjekts des Hauptsatzes"*, non habent, quo referant ex., quae ab impersonali verbo pendent, ut: *Cic. inv. 2, 101 nihil indignius est, quam eum qui*

---

[1]) Draeger Hist. Synt. d. lat. Sprache II² p. 442.

culpa careat supplicio non carere, ubi non est subiectum, ad quod respicere possit sententia secundaria. Quo fit, ut attractioni cuidam modorum (§ 143) vel analogiae, quam in novissima editione substituerunt [1]), talem coniunctivum tribuant. Sed nemini credo probari poterit, non esse eundem coniunctivum in his duobus ex.:

Indignum est eum qui culpa careat supplicio non carere.
Indignor eum qui c. careat s. n. c.

Atque reperiemus in sententiis, quae his impersonalibus verbis subiunguntur, non minus quam in eis, quae a I personae verbis pendent, indicativum passim retineri.

Si igitur tam latis finibus [2]) obliquam orationem circumscribimus, ut omnem subiunctam orationem intelligamus, normae non possunt statui, quae ad omnem coniunctivum obliquum aeque pertineant. Nam distinguenda sunt ea exempla, in quibus necessario coniunctivus adhibendus est, et ea, in quibus et indicativo et coniunctivo licet uti.

Quae genera iam *Madvig* recte dissignavit.

1. Nam obliquam orationem is quidem proprie appellat eam, in qua verba et sententiae referantur, quae non eius sint qui loquatur, sed alterius (in § 403 [3]), itemque de obliquo coni. in § 368 haec verba facit: *„Relative Sätze stehen im Coniunctiv, wenn sie Bestandtheile einer Äusserung (eines Gedanken, Entschlusses u. s. w.) sind, welche im Hauptsatze als eine fremde erwähnt oder angedeutet wird und keine Vorstellung enthalten, welche der Redende selbst*

---

[1]) § 142, 3 ed. VII 1892 ‹Bloss äuserliche Angleichung an Fall 1›, ubi de vere obliquis sententiis agitur.

[2]) Etiam in Christianum Cavallin haec verba pertinent, qui in libro qui inscribitur: Grekisk syntax Lund 1887 § 81 p. 72 ita definit obl. or.: ‹Oratio Obliqua är hvarje bisats som utsäges såsom subjektets i hufvudsatsen vilja eller tanke›.

[3]) I. N. Madvig Lat. Sprachlehre für Schulen 1857[3].

als seine[1]) *ausspricht*", in § 369 „*wie in rel. Sätzen auch in anderen Nebensätzen* —". Item Zander Lat. språklära, Lund 1891, § 170 „*Obliqua-sats är en sådan i talet inskjuten bisats, hvilken ej framställes som den talandes egen, utan som en annan persons föreställning*".

2. Alterum est coniunctivi genus id, quod in § 369 Madvig describit his verbis: „*Deshalb steht der Coniunctiv in allen relativen oder durch Coniunctionen angeknüpften Nebensätzen, welche hinzugefügt werden um eine durch einen Infinitiv ausgedrückte Vorstellung oder einen im Coniunctiv oder Acc. c. inf. stehenden Satz zu ergänzen, und deren Inhalt von dem Redenden nicht einfach als wirklich, sondern nur als Bestandtheil der im Inf. oder Coni. angeführten Vorstellung ausgesagt wird (oratio obliqua, indirekte Rede)*" [2]).

Cum autem coniunctivus ille vere obliquus in omnibus sententiis secundariis, quibus aliena verba aut sententiae referuntur, aeque necessario requiratur, sive veras sive cogitatas res exprimunt, hic coniunctivus, qui infinitivis subiungitur, si non ad alium nisi ad eum qui loquitur respicit in rebus certis verisque non frequentatur, sed universalium vel infinitarum est sententiarum. Attamen ne in his quidem semper, quod falso statuit Madvig: „*in allen Nebensätzen*", itemque Kühner § 182, 4. „in allen Nebensätzen" etc. Recte enim Zander l. l. § 169 saepe ait hunc coniunctivum usu venire.

---

[1]) *jetzige* addere debuit, ne ei opus esset in annotatione huius § 368 haec excipere: «Der im Hauptsatze erwähnte Gedanke kann dem Redenden selbst angehören, wenn er als ein Gedanke bezeichnet wird, den er zu einer anderen Zeit gehabt hat».

[2]) Idem est coni., quem attractioni modorum tribuerunt Lattm.—Müller § 143. «Nebensätze in denen nicht eine bestimmte Thatsache ausgesagt wird» etc., et quem describit Kühner in § 182, 4.

Sed mirum est Madvigium, cum haec coniunctivi genera distingueret, interposuisse verbum illud *„Deshalb“*, nisi forte analogiae auxilio irrepsisse putat obliquum coniunctivum, quem ad alios spectare dixit, in eos fines qui eius non essent. Nam non potuit non videre verbis dudum laudatis (§ 369) eas quoque sententias comprehendi, quae ad eum qui loqueretur pertinerent.

De nomine scilicet, non de re est contentio, utrum hunc quoque coniunctivum cum Madvigio obliquum appellemus necne, dummodo re atque verbis genera illa satis inter se seiungamus. Tamen obliqua mihi videtur aptius appellari ea sola oratio, in qua reddenda aut personarum ratio aut temporis ita mutata est, ut a sua mente aut saltem a suo tempore aliena narret is qui loquitur.

Alterum autem liberiorem coniunctivum nescio an recte liceat vocare coniunctivum subiunctivum, cum eius ratio sit ea, ut infinitivo pendenti proxime subiungatur. („Bestandtheil der im Inf. oder Coni. angeführten Vorstellung“). Sed ne novis nominibus turbem potius quam explicem, tutius est secundum usum simpliciter eum appellare coniunctivum qui apud infinitivos est.

Inquiremus igitur hac disputatione, Plautinas fabulas examinantes, quibus rationibus afficiantur et in obliqua et in reliqua subiuncta oratione eae sententiae secundariae, quae in absoluta dictione indicativo exprimuntur, — si in infinitivum transeunt primariae sententiae.

§ 1.

Tertiae personae verbum personale est in primario enuntiato.

A. Coniunctivus.

Proprio quasi domicilio apparet orationem obliquam, qua verba aut sententiae alterius narrantur, habitare in periodis, quae a III personae verbo pendent. De quibus id quoque recte dicitur, obliquum coniunctivum usurpari in omnibus sententiis secundariis, quae ad eum, de quo praedicetur enuntiatio regens, proxime referantur.

Sed hic dicendi usus ut in historico scribendi genere frequens, ita in fabulis scilicet longe rarior est, in quibus magis ipsi sua loquentes homines inducuntur quam aliena narrantes. Nam ne de continuata oratione obliqua verba faciam — quae in prologis reperitur: Amph. 64--74, 81—85, Merc. 51—79, et in narratione Sosiae Amph. 205—10, — ne breviores quidem sententiarum nexus obliqui usitati sunt.

In quibus cum iam adeo excultus occurrat coniunctivus obliquus, ut a latinitate posteriorum vix discrepet, non est, cur in exemplis enumerandis longus sim:

1. Condicionales sunt sententiae:

Amph. 206. *Si — velint —,*
Si quae asportassent redderent, se excercitum extemplo domum
Reducturum, — pacem atque otium
Dare illis: sin aliter sient animati neque dent quae petat,
Sese — oppidum oppugnassere.

Aul. 470. *Credo edepol ego illi mercedem gallo pollicitos cocos,*
Si id palam fecisset. 363—4.

As. 528. *An te id exspectare oportet, siquis promittat tibi*
Te facturum divitem, si mori⟨a⟩tur mater sua.
[*moritur* libri, corr. Pylades]

Cas. 53. *is sperat, si ei sit data,*
Sibi fore paratas — excubias.

56. *scit, si id impetret,*
Futurum quod amat intra præsepis suas.

698—9, Curc. 667—9, Bacch. 285, Merc. prol. 79, 243, 420, Most. 1084, Rud. 405, 1379 v. infra, Ps. 776—8, Truc. 89—90, 399—400.

His exemplis addendum est unum, in quo cum prave verba coniungerent, omnes quantum scio coniunctivi naturam perperam interpretati sunt:

Amph. 891. *Faciundumst mi illud, fieri quod illaec postulat,*
Si me illam amantem ad sese s t u d e a m *recipere.*

Nam cum ita coniungerent: *Faciundumst mihi illud, si studeam,* pro inconcinna aut corrupta hanc periodum condicionalem citarunt [1]).

Iungenda autem sunt:

fieri quod illaec postulat, si — studeam,

i. e. quod illaec postulat ut faciam, si — studeam.

Eadem igitur evadit sententiarum structura atque in

Curc. 425. *Quod istic scriptumst, id te orare iusserat*
Profecto ut faceres, suam si velles gratiam,

ad cuius exempli similitudinem nostros versus ita licet informare:

---

[1]) Langen Beitr. zur Kritik u. Erkl. des Plautus, Leipzig 1880, p. 48 v. 892 prorsus damnat, ›*fortasse recte*‹ addunt Goetz et Loewe; v. 892—96 pro insiticiis habet Leo; Lindskog De en. apud Plaut. et Ter. condicionalibus, Lundae 1895, p. 41: «*si versus 892 retinetur, saltem pro* s t u d e a m *indicativi forma* s t u d e o *restituenda est*».

fieri quod illaec postulat, si recipi velim;
vel: *quod illaec postulat ut faciam, suam si velim gratiam.*

Ne in verbo *illam* v. 892 offendas, hoc perspicuitatis causa pro reflexivo *se* adhibendum erat propter refl. pron, quod sequitur: *ad sese.*

Coniunctivus igitur obliquus est ad Alcumenam respiciens. Nam qua lege reconciliari posset, ipsa iam Iove audiente disseruerat:

889 *aut satis faciat mi ille atque adiuret insuper,*
Nolle esse dicta quae in me insontem protulit.

2. Relativae sent.:

Amph. prol. 21. *Tametsi pro imperio vobis quod dictum foret Scibat facturos.*

1123. (*Dixit*-) *Eumque filium suom esse, qui illos angues vicerit.*

Bacch. 1097—8 v. infra. Capt. 362—3, Cas. 671, Cist. 585—7.

Curc. 488. *Et aurum et vestem omnem suam esse aiebat* [*cui*]*quam haec haberet.*

Merc. prol. 55—58, 77, Mil. 1391, Ps. 597, 649—50 si cum Ritsch. *ut* damnamus, 1150—1, Trin. 214 nisi causalis hic coniunctivus est.

3. Temporales sent.:

As. 442. *Aibat reddere, quom extemplo redditum esset.*
Merc. prol. 61, 67, 70, 73. Ps. 1118 (ubi), Truc. 439—40 (dum); 901 (priusquam).

4. Causales sent.:

Ep. 414—16, Mil. 1031—33.

In reflexivo pronomine obliquae orationis adhibendo cum soluta oratione posteriorum Plautus ceteroquin consentit, in duobus exemplis abhorret.

Bacch. 1097. *Omniaque ut quidque actumst memoravit: eam sibi hunc annum conductam:*
Relicuom id auri factum quod ego ei stultissumus homo promisissem.

Facilius in hoc ex. demonstrativum pron. adhiberi potuit propter interposita verba *stultissimus homo*, quae Nicobulus senex, qua stultitia se egisse intelligit, ipse exclamans verbis militis inserit. Nam ad obliquam orationem i. e. ad militis verba non possunt pertinere, qui stulte egisse Nicobulum nescierit.

Sed nulla eiusmodi est pronominis excusatio in

Rud. 1378. *Si vidulum*
Hunc redegissem in potestatem eius, iuratus⟨t⟩ dare
Mihi talentum magnum argenti.

B. **Indicativus.**

Oratio obliqua licet III personae verbo primario praecipue subiungatur, tamen non ideo exoritur, quia III personae est verbum primarii enuntiati, nisi etiam ad eius mentem, de quo praedicatur hoc primarium enuntiatum, sententiae secundariae referuntur.

Et quidem non solum in eis sententiis secundariis, quae ad verbum finitum statim se applicant, scribentis vel loquentis arbitrium est, utrum ipse suis verbis rem veram malit narrare, an ex eius animo de quo loquitur eiusque verbis sententias proferre. Qua in re quantum licentiae sibi concesserit Plautus hoc ex. demonstrat:

Bacch. 735. *Chrysalus mihi usque quaque loquitur nec recte, pater,*
Quia tibi aurum reddidi et quia non te ⟨de⟩fraudaverim.

Nam rem vere factam Mnesilochus ipse suis verbis narrat: *quia — reddidi,* quid autem non fecerit, Chrysalum

haud inepte expostulantem facit: *quia*, ut ait Chrysalus, „*non te defraudaverim*". Cuiusmodi coniunctivi obliqui reperiuntur in As. 583, Cas. 677, Cist. 101—2, Merc. 923—4, Mil. 6—7, 696, 859—60. Indicativi exempla sunt: Mil. 1222, Men. 129, Most. 499—500, Ps. 279—80, St. 174—5, Rud. 388—9.

Sed etiam intra obliquam orationem — hic enim agimus de sententiis secundariis, quae ad infinitivos se applicant — indicativo exprimit is qui loquitur, quamcumque sententiam aut ipse narrando addit aut suis verbis circumscribit [1]) vel ex sua mente profert.

1. Quae ratio maxime aperta est, ubi parenthesis loco est sententia secundaria, explicandi causa addita.

Comparativae sent. sunt:

Amph. 22. *intellexerat*
Vereri vos se et metuere, ita ut aequomst Iovem.
469. *neque credet huc profectum, ut iusserat.*

Relativae sent. sunt:

Truc. 579. *Erus — ad te ferre me haec iussit tibi*
Dona quae vides illos fer⟨r⟩e. Capt. 29.

Mil. 127. *(ait) Sese illum amare meum erum Athenis qui fuit;* cfr. 132.
183. *nisi quidem i·a nos volt, qui servi sumus, — crucibus — dari.*

Cum hoc exemplo plane consentit

Cas. 193. *Quin mihi ancillulam ingratiis postulat,*
Quae meast, quae meo educta sumptu siet,
Vilico se suo dare.

Nam sententia ipsa docet, has relativas enuntiationes non esse eius qui 'postulat', sed ab ea quae loquitur „postulatis" illius opponi. Coniunctivus igitur, qui sequitur

---

[1]) cfr. Kühner Ausf. Gr. § 239¹ a. 2. Lattm.-Müller § 139, 2.

(quae-siet), non obliquus est, sed concessivae notioni debetur, quae levior est in breviore sententia: *quae meast,* deinde in longiore sent. coniunctivo, qui simul metro consulit, intenditur.

2. At in eis quoque enuntiatis, quae cum sententia universa penitus cohaerent, ut abesse non possint, indicativus suo loco est, si quis ex sua mente, ex suo tempore suisque verbis narrat vel circumscribit.

a) Atque id vel necessario fit, ubi ex verbis ipsis concludere licet, loquentis esse enuntiata secundaria, non eius de quo loquitur.

Comparativa est sent.:

Cist. 674. *Si era mea ⟨me⟩ sciat tam socordem esse, quam sum.*

Relativae sent. sunt:

Men. 1040. *Alii me negant eum esse, qui sum.*
„der ich doch bin".

Amph. 850. *atque is si denegat*
Facta, quae tu facta dicis. Men. 614.

Capt. 567. *Immo iste eum sese ait qui non est esse et qui verost negat.*

Eadem modorum vicissitudo quae in Cas. 193 sq. (v. supra) nobis occurrit in

Ps. 927. *Sic ego illum — In timorem dabo —*
Ipsus sese ut neget esse eum qui siet
Meque ut esse autumet qui ipsus est.

Nam adiuvante coniunctivo regentis sententiae *(neget)* et commendante metro (cretico item ut in Cas. 194) coniunctivus concessivus, non obliquus, provenit in v. 928.

Amph. 884. *Ea, quae sunt facta, infecta testat clamitat.*
[Cod. B *infectare est at,* corr. Palmer]

Bacch. 1096. Men. 580. *Datum denegant, quod datumst.*

Truc. 235. *Is hic amatur apud nos qui quod dedit id oblitust datum.*

Cas. 771. *quasi nil sciant Fore huius quod futurumst.* „das doch geschehen wird".

Amph. 1003. *Eum fecisse ille hodie arguet, quae ego fecero hic.*

Mil. 254. *vera ut esse credat quae mentibimur.*

In his enim omnibus exemplis satis elucet, eum qui loquitur ipsum suis verbis circumscribere id, quod verbis vel sententiae alterius opponat.

b) Eadem est indicativi explicatio, quamvis minus aperta, cum ea reperiuntur verba, quae etiam subiecto regentis sententiae tribui potuerunt.

In comparativa sententia, quae est

St. 125. *Et illa quae aequo animo patietur sibi esse peius quam fuit,*

vix metro soli indicativus imputandus est, sed simul ipsi comparationi, cui ex. gr. debetur indicativus in

Cic. Tusc. I, 24, 58 *idque solum esse* [sc. Plato putat], *quod semper tale sit quale est.*

Nam is qui loquitur suis verbis exprimit id quod in comparatione est, ut in nostro ex. verbis *peius quam [sc. ei ante] fuit* Panegyris circumscribit notionem *adversae fortunae*[1]).

Relativae sent. sunt:

Amph. 49. *(arbitratur) Merito — bona se facere quae facit.*

Bacch. 699. *(dixit), si tu illum solem sibi solem esse diceres, Se illum lunam credere esse et noctem, qui nunc est dies.*

---

[1]) Coniunctivus qui reperitur in comparativa sent.

Ps. 438. *Probum patrem esse oportet, qui gnatum suom Esse probiorem quam ipsus fuerit postulet,*

fortasse propter coniunctivum regentis sententiae adhibitus est.

Curc. 333. *Respondit mihi paucis verbis atque adeo fideliter*
Quod tibist item sibi esse: magnam argenti inopiam.

Quae verba non ut ab hospite dicta referuntur, sed Curculionis ipsius sunt, notionem *inopiae* circumscribentis.

St. 563. *Senex quidem voluit, si posset, indipisci de cibo:*
Quia nequit, qua lege licuit velle dixit fieri.

Verba *qua — licuit* non senis apologi verba sunt sed apologum narrantis, qui ad certam legem respicit (= ea lege, qua licuit, i. e. sine cibo v. 558, non = quacumque lege).

Cist. 179. *Et eam cognoscit esse, quam compresserat,*
qui indicativus narrantis est, fortasse ad similitudinem versus antecedentis, qui in idem verbum exit:

177. *duxit uxorem —*
Eandem quam — compresserat.

(cum ad subiectum primarii enuntiati respiciat coniunctivus in Aul. 29. *Is scit adulescens, quae sit, quam compresserit.)*

Cas. prol. 56. *Scit, si id impetret,*
Futurum quod amat intra praesepis suas.

His verbis *„quod amat"* prologus ipse circumscribit notionem 'puellae' (cfr. Curc. 136, 138, Poen. 820, Trin. 242, Cavallin Tidskr. f. Philol. I, p. 266). Ad indicativum cfr Ep. 47. *mandavit, — ut fidicina*
Quam amabat emeretur sibi.

Amph. 170. *Ipse dominus dives, operis et laboris expers,*
Quodquomque homini accidit lubere, posse retur.

Relativa sententia Sosiae est notionem 'omnia' vel eiusmodi circumscribentis. Frustra Leo coni. 'acciderit'.

c) In promptu est, sua verba ipsum facile proferre, siquis alteri praecipit, quid dicat aut sentiat. (De qua re ad II pers. p. 60 fusius disputabimus.)

Amph. 889. *atque adiuret insuper,*
Nolle esse dicta quae in me insontem protulit.
cfr Men. 972. *Recordetur id, qui nihili sunt, quid [i]is preti*
Detur ab suis eris.
(recordetur = moneo)

d) Oratio quidem obliqua non minus exoriri potest, si ad universale subiectum respiciunt sententiae subiunctae ut Trin. 212—14, 740—43,

Trin. 549. *Sicut fortunatorum memorant insulas,*
Quo cuncti qui aetatem egerint caste suam
Conveniant. [*egerint* A, *-runt* ceteri]

Sed interdum nobis occurrit indicativus in sententiis, quae ab eiusmodi verbo universali pendent:

Poen. 956. *Eum fecisse aiunt sibi quod faciundum fuit.*
or. recta: *fecit sibi quod f. f.*
Merc. 295. *Senex quom extemplo est, iam nec sentit nec sapit,*
Aiunt solere eum rursum repuerascere.[1])

Post nominativum c. inf.:

Bacch. 925. *Atridae duo fratres cluent fecisse facinus maxumum,*
Quom Priami patriam — subegerunt.

Cuius indicativi multa reperiuntur exempla in Fastis Ovidii: IV 87—9, 114, 795—6, VI 257—8; ab impersonali verbo ut 'fama est' vel simili pendent: IV 801—2, V 625—6, 629—31; post nomin. c. inf.: III 869—70, IV 369—70, 533.

Forsitan iam in ipsa universali dictione, siquidem praesentis temporis est, huius indicativi explicatio posita sit, cum saepe non tam exprimamus alienam esse narrationem, quae tali verbo subiungitur, quam nos ipsos illud audivisse et

[1]) At ipsi obliquae orationi a loquente opponitur indicativus in Curc. 504. *Eum rem fidemque perdere, tam etsi nil fecit, aiunt.* cfr ex. p. 12—13 allata.

scire quod narratur [n a r r a n t, fama est, audivi, novi, s c i o; ad *aiunt* Merc. 296 cfr *declaramus* Ps. 682]. Quare nescio an eodem iure indicativus adhibitus sit atque in

Men. 943. *Et postquam es emissus caesum (sc. te) virgis sub furca s c i o.* (v. p. 45).

e) In enuntiatione, quae est:

Men. 668. *Male mihi uxor sese fecisse censet, q u o m e x c l u s i t foras,*

non tempus solum sed etiam m o d u s a b s o l u t u s esse videtur, ut in causali enuntiato „gaudet quom me exclusit", de qua re cfr quae p. 10 disputavi et Men. 1136. Item absoluta est et causalis sent. in St. 559—60 et cond. sent. in Ps. 1105. *Nam qui liberos se ilico esse arbitrantur,*
Ex conspectu eri si sui se a b d i d e r u n t,

f) Ut in duobus exemplis Plautum vidimus cum coniunctivo obliquo coniungere demonstrativum pron. pro reflexivo, ita una est sententia, in qua offendat indicativus propter r e f l e x i v u m pronomen pro d e m o n s t r a t i v o adhibitum:

Merc. 238. *Dicit capram, q u a m d e d e r a m servandam s i b i,*
Suae | uxoris dotem ambedisse oppido.

[*dederat* F, *dederim* Mueller Pros. Plaut. p. 379].

Sed et Poen. 956 et alia exempla conferri possunt, in quibus cum indicativo copulatur reflexivum pronomen notione verbi „i p s e" instructum.

Trin. 395. *qui nil aliud nisi quod s i b i soli placet Consulit.*
Poen. 956. *eum fecisse aiunt s i b i quod faciundum fuit.*
Bach. fr. II. *quidquid est nomen s i b i.* 550. *quod in s e fuit.*
Curc. 180. *sibi quisque habeant quod s u o m s t.*
Rud. 47. *ut s e aequomst.* Mil. 187.

Soluta demum oratione comparata diiudicari poterit, quid in his rebus metrum valuerit.

§ 2.

Verbum impersonale est in primario enuntiato.

A. Coniunctivus.

Impersonales significationes orationem obliquam secum habent, ubicumque eam requireret personalis species, quae ad sententiam respondet, substituta, ut Capt. 378—81, Amph. 225—6. *convenit (sc. inter eos) = pepigerunt* [1]).

Ceteroquin coniunctivus est apud infinitivos ab impersonali verbo pendentes

I. In universalibus sententiis vel quibus res sumptae exponuntur.

1. Relativae sententiae intra periodos, quae totae infinitae sunt et in rebus cogitatis versantur, coniunctivo facillime induuntur in subiuncta oratione:

Cas. 570. *Nam meo quidem animo, qui advocatos advocet,*
Rogitare oportet prius et ⟨per⟩contarier,
Adsitne ei animus necne ⟨ei⟩ adsit quem advocet.

Quae causa Ussingium commoverit, ut in v. 570 pro *advocet* scriberet *advocat,* non intelligo, cum ne incertam quidem esse litteram *e* designet Studemund (in Apographo) a. h. l.

Aul. 593. *Si erum videt superare amorem, hoc servi esse officium reor,*
Retinere ad salutem, non enim quo incumbat eo impellere.
[*non enim* B, *non eum* IFZ].

---

[1]) Sed in parenthesi est indicativus Capt. 353.

Aul. 750. *nimis vilest vinum atque amor,*
Si ebrio atque amanti impune facere quod lubeat licet[1]).

Satis ostendunt haec exempla[2]), iam ex ipsa subiunctione coniunctivum provenire potuisse, cum in his nulla insuper percipi possit ratio, cui hic modus tribuatur, licet in ceteris ex. consecutiva aut alia modalis vis plus minusve eluceat.

Ps. 438. *Probum patrem esse oportet, qui gnatum suom*
Esse probiorem quam ipsus fuerit postulet.

Rud. 112. *Peculiosum esse ⟨ad⟩decet servom et probum,*
Quem ero praesente praetereat oratio,
Aut qui inclementer dicat homini libero.
|| *Et impudicum et impudentem hominem addecet,*
Molestum ultro advenire ad alienam domum,
Quoi debeatur nil.

Sanusne sit v. 113 cum Leone valde dubito, quamquam probabilem sanandi viam non invenio.

Pseud. 460. *Decet innocentem qui sit atque innoxium*
Servom superbum esse apud erum potissumum.
[*innoxius* libri].

Rud. 321. *Cum istius modi virtutibus operisque natus qui si[e]t,*
Eumquidem ad carnificemst aequius quam ad Venerem commeare.

---

1) Plautus cum et negligenter vulgari scilicet sermoni obnoxius accusativum haud raro omittat — nam in servorum sermone id maxime fieri observavi — et promiscue interdum usurpet post impersonalia verba acc. c. inf., dat. c. inf., simplicem inf. (ut post *certumst, certa res est, necesse est),* frustra has iuncturas semper diligenter inter se discernamus. Id solum hic animadversum velim, quod ex iam allatis exemplis elucet, etiam apud dativum c. inf. aut simplicem inf. coniunctivum nostrum usu venire. De nominativo c. inf. v. infra p. 64 sq.

2) Quibus adde Truc. 224—5 v. p. 19.

Qualitatis notio maxime insignis est in sententiis, quae sunt:

Ps. 1085. *Nam quanti refert ei nec recte dicere,*
Qui nil⟨i⟩ faciat, quique infitias non eat?

Cas. 563. *Stultitia magnast mea quidem sententia,*
Hominem amatorem ullum ad forum procedere
In eum diem, quo[i] quod amet. in mundo siet.

Concessiva vel adversativa vis praecellit in

Rud. 393. *O facinus impudicum,*
Quam liberam esse oporteat, servire postulare.

Restrictiva vis in Men. 203—4. De Persa 9 v. p. 34[1].

In sententia, qua definitur pronomen *nemo,* per se coniunctivus suo loco est (Cfr Merc. 520, Men. 474—5):

Trin. 946. *Nam pudicum neminem*
⟨Deputa⟩re oportet, qui aps terra ad caelum pervenerit.

Obliquus esse potest coniunctivus in

Capt. 985. *Quia mos est oblivisci hominibus*
Neque novisse, quoius nihil⟨i⟩ sit faciunda gratia.
(cfr tamen Cic. Or. 44, 151)

Per verbi speciem modus non dispicitur in

Truc. 227—8. *Meretricem — condecet*
Quemquem — attigerit — ei — damnum dare.

Sed cum in simili iunctura coniunctivus paucis versibus antecedat in sententia, quae a verbo *ut* incipit:

Truc. 224. *Bonis esse oportet dentibus lenam probam:*
Adridere ut quisque veniat.
[*ut quisqu* A, *quisquis* ceteri]

coniunctivus probabilior est.

In comparativa sententia:

Trin. 1173. *miserumst male promerita, ut merita sint, si ulcisci non licet,*
[*sinis ulcisci* BCD],

ubi coniunctivum in contextum recepit Ritschl, nescio an cum Lindemanno et ceteris editoribus praeferendus sit indicativus *sunt*.

2. Si quibus in sententiis relativum pronomen tantummodo infinitum est, coniunctivus nobis occurrit ad futurum tempus spectans:

Aul. 129. *It⟨a⟩ aequomst, quod in rem esse utrique arbitremur*
Et mihi te et tibi ⟨me⟩ consulere et monere.
(= quodcumque arbitrabimur)

As. 24. *Video necesse esse eloqui quidquid roges.*

St. 69. *(Pati) Nos oportet, quod ille faciat, quoius potestas plus potest.*
(= quodcumque faciet)

Persa 273. *Emere oportet, quem tibi oboedire velis.*
(= si quem voles)

Cas. 872. *Et ibi audacius licet*
Quae velis libere proloqui [*velis* **A**, *vis* ceteri].
(= quaecumque voles)

In concessivo vel adversativo sententiarum nexu:

Most. 287. *Quid opust, quod suom esse nolit, e⟨i⟩ ultro ostentarier?*
[*nolit te* ceteri, *nollite* Ba, corr. Pyl.]

Utrum coniunctivus sit an indicativus futuri, per formas non licet diiudicare in his:

Amph. 316. *Alia forma | esse oportet, quem tu pugno legeris.*
318. *percusseris.*

Item in temporali sent. Bacch. 765, Mil. 1169, Rud. 716.

3. In condicionalibus periodis satis cognitum est ad coniunctivum protaseos respondere posse in apo-

dosi indicativum verbi modalis, quod dicitur [1]). Quae ratio unde venerit, haud obscurum est, cum coniunctivus protaseos non ad indicativum verbi modalis proprie re examinata respiciat, sed ad infinitivum (vel coniunctivum), qui ab illo verbo pendet, ut si inspicias:

Bacch. 818. *Hunc si ullus deus amaret, plus annis decem,*
Plus iam viginti mortuum esse oportuit.
i e. *Si amaret, mortuus esset* — (ita) *oportuit.*

In hac igitur dictione coniunctivus protaseos suam habet vim condicionalem, neque est ullum Plautinum exemplum, in quo liceat pro certo affirmare ex ipsa subiunctione coniunctivum ortum esse, nisi fortasse in uno, quod est:

Cas. 529. *Quid me amare refert, nisi sim doctus ac dicaculus?*

[*doctus dicax vivus* B, *dicas vivis* ceteri, corr. Kiessling; *sum* EZ et sic temere Langen Beitr. p. 50]

in quo ex. 'sim' pro 'ero' forsitan dictum sit in subiuncta oratione [2]). — Blase Wölffl. Arch. IX p. 24 adhortativum coniunctivum esse putat „ausser ich muss klug und witzig sein". — Sed hoc quoque ex. possumus interpretari ad similitudinem ceterorum, in quibus modalia verba sunt.

In qua re lubet conferre

Mil. 878. *Stultilia — hae⟨c⟩ sit,*
Me ire in opus alienum —
Si — nesciam aut mala esse aut fraudulenta.

quod ex. a Cas. 529 non discrepat nisi quod coniunctivus est etiam in primario enuntiato. Ubi si pro verbis *stultitia sit* substituamus: *Quid refert —?*, neque sententia ulla in re mutetur neque coniunctivi natura, qui est in condicionali sent.: *si nesciam.*

---

[1]) v. Lindskog De en. apud Plaut. et Ter. condicionalibus, Lundae 1895, p. 121 sq.

[2]) Cfr indicativum in Bacch. 704 v. p. 31.

Exempla haec sunt:

Capt. 259. *Neque pol tibi nos, quia nos servas, aequomst vitio vortere*
Neque te nobis, si abeamus hinc, si fuat occasio.

Concessiva vis est in

Bacch. 128. *Qui si decem habeas linguas, mutum esse addecet.*
1045. *Si plus perdundum sit, periisse svaviust*
Quam illud flagitium volgo dispalescere.
Stich. 27. *Tamen si faciat, minume irasci*
Decet. [*Tametsi* A. *Tamensi* ceteri]
43—46. *Et si illi improbi sint* —, *tam pol*
Nostrum officium meminisse decet.

Irrealis est notio in

Bacch. 818. *Hunc si ullus deus amaret, plus annis decem,*
Plus iam viginti mortuom esse oportuit.
Stich. 512. *Et magis par fuerat me vobis dare cenam advenientibus*
— *nisi nollem ei advorsarier.*

Optativa vis est in St. 112.

Nam non opus est II personae exempla commemorare ad universale subiectum spectantis ut Truc. 462, Merc. 550.

II. Coniunctivus ubi invenitur in sententiis, quae in certis rebus versantur, non ex subiunctione sola provenit sed aliquam insuper habet explicationem.

1. Causalis est vis in relativis sententiis quae sunt:

Amph. 705. *At pol. qui certa res*
Hanc est obiurgare, quae me —
Noluerit salutare.
Capt. 564. *Pol planum id quidemst*

Non novisse, qui istum appelles Tyndarum pro
Philocrate. [EIF *appellas*]
cfr. 546 *si te odit, qui istum appelles —.*
Epid. 168—72. — *praesertim eam, qua ex — commemores —*
Mil. 31. *Ne hercle operae pretium quidemst*
Mihi te narrare, tuas qui virtutes sciam.

Versibus Rudentis 112—14, quos supra p. 18 citavi, simillimi sunt hi, nisi quod infinita erat dictio in illis *(qui* = quicumque vel „ein solcher der"), finita in his *(te qui):*

Poen. 1030. *Servom hercle te esse oportet et nequam et malum,*
Hominem peregrinum atque advenam qui inrideas.

At sequitur in proximis versibus indicativus perfecti:

1032. *At hercle te hominem et sycophantam et subdolum,*
Qui huc advenisti nos captatum.

Rud. 1146. *Tum tibi deos iratos esse oportet, quisquis es,*
Quae — compegeris. Mil. 406, Trin. 551—2.

Most. 1148. *Sapere istac aetate oportet, qui s⟨is⟩ capite candido.*

Multo probabilior mihi videtur haec coniectura Schoellii: *qui s⟨is⟩,* quam Camerarii: *qui s⟨unt⟩* ab Ussingio et Leone recepta. Nam per se elucet, quam facile librarius, postquam *quis* scripsit, alterum *is* potuerit omittere.

St. 555. *Videlicet parcum illum fuisse † senem, qui dixerit:*
Quoniam ille illi pollicetur, qui eum cibum poposcerit.
|| *Videlicet non fuisse illum nequam adulescentem, qui ilico,*
Ubi ille poscit, denegavit dare se granum tritici.

Multa in his versibus incerta sunt, cum neque satis liqueat, qua ratione compleatur v. 555, neque sana esse videatur verborum collocatio impedita quam praebent cod. in v. 556. Et in v. 557 pro codicum *nequam* omnes fere editores substituerunt *aequom,* in v. 558 pro *denegavit* cum Acidalio *denegarit.* — Sed cum Ussingio versum 556 uncis

includere ideo non licet, quia apertum est, inter se respondere v. 555—6 et 557—8 non minus quam 559—60 et 561—2. Quin ex hac pari versuum structura singula mihi videntur esse emendanda. Ordior igitur a v. 557, in quo cum Goetzio et Schoellio verbum *nequam* verum esse credo. Frustra autem illi interrogationis signo hos versus distinxerunt [1]). Ironica enim est dicendi ratio: „Der Junge war natürlich kein Lump —".

Quod si ita est, quid est propius, quam ut etiam in vv. 555—6 eandem ironicam dictionem accipiamus, atque excidisse putemus in v. 555 verbum *non* (Cfr Most. 104):

555. *Videlicet* ⟨*non*⟩ *parcum illum fuisse senem qui* ⟨*id*⟩ *dixerit.*

„Der Alte, der das sagte, war natürlich kein Geizhals".

De omissa caesura media v. exempla a Klotzio [2]) allata p. 209—11. Sed caesura media est, si scandimus *párcum íllum* sonante littera *m.* ⟨*id*⟩ cum Lomano addidi, quod verbum inter litteras *i* et *d* facillime excidere potuit.

Deinde versum 556 ita correxit Ritschl, quem sequitur Leo: *Quom ille, illi qui pollicetur, eum cibum poposcerit.* verbo *quom* ex. cod. B recepto pro ceterorum *quoniam* et transpositis verbis *pollicetur qui.*

Sed, quamvis impedita, non offendere debet ea verborum collocatio, quam praebent codices:

Quoniam ille illi pollicetur, qui eum cibum poposcerit,

Vere enim Plautina est: quam optime illustravit Plautoque vindicavit Lindskog [3]). Cfr praecipue As. 323 et Rud. 1184—5 (p. 53), ne alia addam ex. similia ut Cist. 654,

---

[1]) Aut idem signum etiam in Capt. 568—9 addere debuerunt. Utut est, interrogationis signum, quod etiam versibus 555—6 tribuerunt, non intelligo quid sibi velit, si eorum lectionem tenemus.

[2]) Klotz, Altröm. Metr. Leipzig 1890.

[3]) Cl. Lindskog Beiträge zur Gesch. der Satzstellung im Latein. Act. Univ. Lund. XXXII p. 50 sqq.

Mil. 690. *Verum priusquam galli cantent quae me e somno suscitet.*

At dixeris parum inter se respondere coniunctivum v. 556 *poposcerit* et indicativum v. 558 *denegavit.* Ita saltem Acidalio visum est *denegarit* coniicienti, quem sequuntur Goetz et Schoell. Sed eadem haec est modorum vicicissitudo in causalibus enuntiatis relativis, atque in vv. Poen. 1030—3, quos supra laudavi. Errat autem Luebbertus, qui in Gr. Stud. I p. 46 hunc coni. requirit, quia *oratio obliqua* sit, itemque II p. 126, ubi in v. 556 cum Ritschelio legit *Quom — poposcerit.* Quae lectio si vera est, coniunctivus non subiunctae orationi tribuendus est, sed causali verbo *quom.* Nam dici non potuit *Videlicet parcum illum fuisse, quia dixerit,* sed *quia dixit*[1]).

2. Concessiva vel adversativa vis est.

Relativae sententiae:

Men. 361. *Animule mei mihi mira videntur,*
Te hic stare foris, fores quoi pateant
Magis quam domus tua, domus quom haec tua sit.

1004. *O facinus indignum et malum,*
Epidamnii cives, erum
Meum hic in pacato o⟨p⟩pido
Luci deripier in via,
Qui liber ad vos venerit

cfr. infinitam periodum Rud. 393—4 supra p. 19 allatam.

Poen. 965. *Nam tuom flagitiumst, tuas te popularis pati*
Servire ante oculos, domi quae fuerint liberae.
[CDFZ *fuerunt*]

---

[1]) Ad totam hanc periodum, qualem iam informavimus, e re est conferre versus qui sunt

Capt. 568. *Tu enim repertu's, Philocratem qui superes veriverbio.*
|| *Pol ego ut rem video, tu inventu's vera vanitudine*
Qui convincas.

in quibus versibus eadem reperitur ironia dicendi.

Bacch. 178. *Mirumst me ut redeam te opere tanto quaesere,*
Qui abire hinc nullo pacto possim, si velim.

Blase [1]) cetera quidem vere disputat de verbo *possum*, sed quod in hoc versu pro coniunctivo indicativum substitutum vult, ei non in mentem venit, in concessiva sententia relativa coniunctivum suo loco esse. .

Quom adversativum:

Capt. 146. *Alienus quom eius incommodum tam aegre feras,*
Quid me patrem par facerest, quoi illest unicus?

Ne hic quidem ullo Plautino exemplo probari poterunt verba Luebberti Gr. Stud. II, p. 126: „Conjunctiv assimilirt an die indirecte Rede", cum haec sententia non universalis sit [2]). Tuto igitur cum Dittmaro [3]) contendere licet, hoc esse verum Plautinum exemplum coniunctivi post *quom adversativum* usurpati.

Sed licet in his exemplis non soli subiunctae rationi coniunctivus debeatur, tamen elucet facilius coniunctivum provenire in sententiis, quae ad infinitivum se applicant, quam in eis, quae apud indicativos sunt. Nam verbum regens, quo iudicium quoddam exprimitur, facile efficit, ut in subiuncta periodo magis excellat ea modalis vis, quae coniunctivum secundariae sententiae eliciat.

3. At cum subiunctione sola non affici dicimus sententias, quae in rebus certis versantur, unum dicendi genus excipiendum esse videtur. Nam ut ad irrealem aut tantummodo cogitatam (negativam) notionem coniunctivi, qui est in interrogativa aut condicionali sententia, secundariam sententiam, quamvis rem certam exprimat, infra reperiemus

---

1) Blase: De modorum temporumque permutatione — Argentorati 1885 p. 40 sq.

2) Cfr indicativum similis periodi:
Capt. 955. *Quid me oportet facere, ubi tu talis vir falsum autumas.* ubi coniunctivum ne cogitare quidem possumus.

3) Dittmar, Stud. zur latein. Moduslehre Leipzig 1897 p. 54.

ea ratione assimilari, ut in re irreali aut tantummodo cogitata ipsa quoque versari videatur, ita ad irrealem notionem infinitivi a verbo *aequom fuit?* pendentis assimilatur comparativa sententia in

Trin. 175. *Utrum indicare me ei thensaurum aequom fuit,*
Advorsum quam eius me opsecravisset pater?

i. e. utrum indicarem adv. quam opsecravisset? („Hätte ich ihm den Schatz angeben sollen?") vel: aequom fuit, si indicassem adv. quam opsecravisset? Confer Bacch. 196, 564 et comparativas sententias, quas infra afferam p. 42: Poen. 276 et As. 434.

B. **Indicativus.**

I. In sententiis, quibus certae res narrantur, sive quae sunt sive quae factae sunt sive quae sunt futurae, numquam subiunctione sola coniunctivus efficitur.

1. Relativae sententiae,

a. quae adduntur, ut singulas voces (non infinitivum) explicent:

Bacch. 524. *Nam illi aequomst me consulere, qui causa mea*
Mendacium ei dixit.

Capt. 147. *Quid me patrem par facerest quoi ille est*
unicus?

Capt. 323, Cas. 282, Curc. 267, Ep. 262, Mil. 724, 765, Poen. 1033 [1]), 1074, Rud. 1109—10, St. 69, 98, 101, Trin. 141—4, 682, Truc. 666—7. As. 226 et Mil. 489 (inf. exclam.).

Explicativae sententiae hae quoque sunt. quae certum genus hominum describunt, a simplici infinitivo pendentes:

Persa 266. *Nam id demum lepidumst: triparcos homines*
vetulos avidos ar[i]dos

---

[1]) In Poen. 1030—3 modi variantur in causalibus sententiis. v. p. 22,

Bene admordere, qui salinum servo obsignant cum sale.

Truc. 244. *Semper datores novos oportet quaerere,*
Qui de thensauris integris demus danunt.
[*demum occerunt* A, *demus danunt* ceteri]

b. quae cum universa sententia penitus cohaerent, ut abesse non possint.

Indic. perfecti est:

Rud. 1384. *Quod servo* ⟨*meo*⟩
Promisisti, meum esse oportet.
[*promisti* CD]

Ep. 431. *Atque haec stultitiast me illi vitio vortere*
Egomet quod factitavi in adulescentia.

Men. 396. *Qui lubet — ire infitias mihi*
Facta quae sunt?

Merc. 463, Poen. 572, 1081, St. 100—1, Ep. 517—21 (inf. exclam.).

Indic. praesentis temporis est:

As. 36. *Ubi fit polenta, te fortasse dicere.*

Capt. 396. *Quae memini mora merast monerier.*

Poen. 1253. *Nunc quod boni mihi dei danunt —,*
Eas deis est aequom gratias nos agere — .

As. 381. *Hasce aedis esse oportet,*
Demaenetus ubi dicitur habitare.

Cas. 265. *Illum mi aequiust quam me illi quae volo concedere.*

Truc. 769. *De nihilo nihil est irasci, quae te non flocci facit.*

Aul. 587. *Hoc est servi facinus frugi facere quod ego persequor.*

Indic. futuri est:

Aul. 210. *Quaeso* *quod* *te* *percontabor*, *ne id te pigeat proloqui.*

De Cist. 46 v. infra p. 33.

2. Comparativa enuntiata:

Cas. 89. *Non mihi licere meam rem me solum* *ut* *volo Loqui.*

Trin. 311, 620. *Nimium difficilest reperiri [in] amicum ita* *ut* *nomen* *cluet.*

3. Causales sententiae, quae praesentis aut praeteriti temporis sunt, modos absolutae iunctionis semper retinent, non solum ubi adverbii vicibus funguntur: Amph. 266, As. 80, Capt. 423, Cas prol. 7, Poen. 125, sed etiam ubi obiecti loco infinitivis proxime subiunctae sunt:

Capt. 259. *Neque pol tibi nos,* *quia* *nos* *servas*, *aequomst vitio vortere.*

Merc. 782. *Fortasse te illum mirari coquom*
Quod venit atque haec attulit.

Item se habent concessivae sent. qualis est

St. 81. *Quid mi opust — cum ⟨m⟩eis*
Gerere bellum, *quom* *nil quam ob rem id faciam meruisse* *arbitror?*
[*arbitrer* Lambinus]

Cist. 626—7.

De coniunctivo post 'quom adversativum' in Capt. 146, quem modorum assimilationi falso tribuit Luebbert, supra disputavi p. 26.

4. Idem valet de temporalibus sententiis, quibus certum quoddam tempus significatur.

Most. 220. *Eundem animum oportet* *nunc* *mihi esse, gratum* *ut* *impetravi[t],*
Atque olim priusquam id extudi, quom illi su⟨b⟩blandiebar.

Amph. 739. *Sed, mulier, postquam experrecta's, te prodigiali Iovi*
— comprecatam oportuit.

Trin. 1092. *Res quom animum agebat, tum esse offusa⟨m⟩ oportuit* (sc. aquam).

Capt. 955 v. p. 26[2].

Men. 329. *Ire hercle meliust te interim atque accumbere,*
Dum ego haec appono.

Merc. 656. *Quanto te satiust rus aliquo abire, ibi esse, ibi vivere,*
Adeo dum illius te cupiditas atque amor missum facit?

Persa 448. *Dum stas, reditum oportuit.*

Pseud. 1126. *Dum recens est*
Dum calet, dum datur, devorari decet † tam.
[sic A, *dum datur dum calet* ceteri]

Mil. 1329. *Obsecro licet complecti, priusquam proficisco.*

II. At indicativo passim exprimitur in oratione, quae ab impersonali verbo pendet, etiam id quod simpliciter sumitur, et quidem semper si praeteriti temporis est verbum secundarii enuntiati.

1. Condicionales sententiae, quae in Plauti fabulis reperiuntur, indicativum vulgo servant[1]). Nec mirum. Nulla enim est sententia intra infinitam periodum, neque est ulla futuri temporis sententia, in qua modus dispici possit. Contendere igitur possumus iure, quin necessario, adhibitum esse indicativum in his sententiis condicionalibus:

---

[1]) Vidimus enim supra nullum certum exstare exemplum coniunctivi condicionalis sententiae ex ipsa subiunctione profecti.

Indicativus praeteriti temp. est, regenti verbo praecedens:

Amph. 920. *Siquid dictumst per iocum,*
Non aequomst id te serio praevortier.

Capt. 195. *Si di — id voluerunt —, Decet id pati.*
198. *Nunc servitus si evenit, ei vos morigerari mos bonust.*

Poen. 140. *Amans per amorem si quid feci[t], Milphio,*
Ignoscere id te mi aequomst.

Men. 195. *Nam si amabas, iam oportebat nasum abreptum mordicus.*

St. 130. *Nam aut olim, nisi tibi placebant, non datas oportuit.*

Poen. 525. *Sed si properabas magis,*
Pridie nos te — huc duxisse oportuit.

Indicativus praesentis est in his sententiis, quae a causalibus non nimis distant *(si = siquidem* aut = *quod),* et quidem sequitur cond. sent. in exemplis quae sunt:

Amph. 29. *Mirari non est aequom, sibi si praetimet,*
Ep. 116—7, 586, Cas. 286, 327,

in ceteris praecedit, quo magis absoluta esse percipitur:

As. 465. *Si is est, eum esse oportet.* Aul. 699. Merc. 1025—6.

Mil. 229. *Tu[de] unus si recipere hoc ad te dicis, confidentiast*
Nos inimicos profligare posse.

Poen. 546, 1072. *Sed si itast, —*
Signum esse oportet in manu laeva tibi.

Truc. 222. *Si eget, necesse est nos pati.*

Indic. post *nisi* (cfr coni. Cas. 529 p. 21) reperitur in

Bacch. 704. *Quid mihi refert Chrysalo esse nomen, nisi factis probo.*

St. 442.

Ex futuri temporis sent. quae est

Curc. 555. *Quid refert me fecisse —,*
— si hic me hodie — deriserit?

nil concludi potest. Absoluta est hypothesis in Most. 239.

2. Temporales sententiae, quibus in universali sententiarum nexu temporis quoddam spatium definitur, indicativum praebent:

Merc. 550. *Adulescens quom seis*[1]), *tum quomst sanguis integer,*
Rei tuae quaerundae convenit operam dare.

Persa 113. *Dum manest, omnis esse mortalis decet.*

A simplici infinitivo pendet temp. sent. in

Most. 379. *Miserumst opus,*
Igitur demum fodere puteum, ubi sitis fauces tenet. Truc. 301.

De Bacch. 765, Mil. 1169, Rud. 716 v. p. 20.

3. Universales denique sententiae relativae, in quibus coniunctivum vidimus haud raro usurpari, indicativum absolutae dictionis salvum praebent,

a) non solum ubi universali specie res certa comprehenditur:

Most. 801. *Lucri quidquid est, id domum trahere oportet.*
= *omne lucrum huius emptionis.*

Men. 117—8, St. 219 (Rud. 1146 *quisquis es* in parenthesi), vel ubi certum hominum genus comprehenditur atque describitur:

Truc. 76. *— omnes qui quod dent habent.*
183. *Non istaec, mea benignitas, decuit te fabulari,*
Sed istos, qui cum gremiis suis belligerant parcepromi.

b) sed etiam ubi pronomen vere infinitum est (qui = si quis, quicumque),

---

[1]) II personae coniunctivus ad universale subiectum spectans.

α) sive ad certos homines aut res simul spectant universales sententiae, quae quidem praesentis temporis sint:

Bacch. 602. *Nequam esse oportet, quoi tam integumentum improbumst.*

[*tu integumentum inprobus es* libri, corr. Bothius]

Poen. 823. *Satis spectatumst deos atque homines eius neclegere gratiam,*
Quo[h]i homini erus e⟨s⟩t consimilis, velut ego habeo hunc huiusmodi.

St. 232. *Haec veniisse iam opus est, quantum potest.*

Nam utrum universalis sit necne haec futuri temporis sententia:

Cist. 46. *Necesse est quo tu me modo voles esse, ita esse mater*,

dubitari potest comparatis verbis, quae sequuntur: *si ita eris, ut volo* (= ut nubas cottidie).

β) sive in periodo vere infinita genus quoddam hominum aut rerum simpliciter sumitur ac definitur.

Perfecti ind. est:

Amph. 836. *Quae non deliquit, decet Audacem esse.*
Poen. 9—10.
Cist. 760. *Aequomst ⟨reponi⟩ per fidem quod creditumst.*
Dat. c. inf. est in Cist. 78—9.

Praesentis ind. est:

As. 217. *necessest facere sumptum, qui quaerit lucrum.*

Aul. 589. *Nam qui ero ex sententia servire servos postulat*
In erum matura, in se sera condecet capessere.

Bacch. 659. *Vorsipellem frugi convenit esse hominem*
Pectus quoi sapit.

Men. 970. *crura quam ventrem oportet*
Potiora esse quoi cor modeste situmst.

Poen. 627. *Viam qui nescit qua deveniat ad mare,*
Eum oportet amnem quaerere comitem sibi.

Persa 7. *Qui ero suo servire volt bene servos servitutem,*
Ne illum edepol multa in pectore suo conlocare oportet,
Quae ero placere censeat [1]).

799. *Stultitiast, quoi bene esse licet, eum praevorti Litibus.*

Pseud. 568. *nam qui in scaenam provenit*
— novom aliquid — adferre addecet.

Rud. 921. *Vigilare decet hominem qui volt sua temperi conficere officia.*

St. 105. *Discipulus venio ad magistras: quibus matronas moribus,*
Quae optumae sunt, esse oportet? sed utraque ut dicat mihi.

[*osed* A, *sed* ceteri, *oportet?* Leo, *oportet,* G.—S.]

726. *impetrare oportet, qui aequom postulat.*

Truc. 159. *Quia qui[a] alterum incusat probri, sumpse enitere oportet*

[*sumpsit seniteri* libri corr. Bergk]

A dativo c. inf. pendet

Poen. 820. *Servire amanti miseriast, praesertim qui quod amat caret.*

Futuri ind. est:

Men. 87. *Quem tu adservare recte ne aufugiat voles,*
Esca atque potione vinciri decet.
[*decet* B, *debet* reliqui]

Quae indicativi exempla si cum coniunctivi exemplis p. 17—20 laudatis comparamus, vix in ullo exemplo — quantum ex Plautinis fabulis concludere possumus — con-

[1]) Finalis quaedam vis in hoc coniunctivo est.

tendere licet necessario requiri eum coniunctivum, qui regenti verbo impersonali debeatur, sed ubique indicativum absolutae dictionis etiam in subiuncta oratione posse retineri.

Id solum agnoscere possumus, ubi coniunctivus adhibeatur, ibi rei cogitatae notionem vel ut ita dicam condicionalem vim relativae sententiae disertius exprimi, indicativo id quod sumitur simpliciter describi ac definiri [1]).

At dixeris offendere, quod hic coniunctivus in èis quidem enuntiatis relativis usu veniat, in quibus aliqua condicionalis ratio insit (qui = si quis), sed non in ipsis sententiis condicionalibus. Sed in hac re non est quod offendas. Primum enim in eis indicativi modi enuntiatis condicionalibus, quae iam laudavimus, necessario adhibendum fuisse indicativum monui, cum neque ullum esset intra vere infinitam periodum neque ad futurum tempus ullum spectaret. Deinde quod post I personae verba re vera indicativum futuri in condicionalibus sententiis reperiemus, iam nunc simile quoddam lubet proferre. Ut enim in causalibus sententiis indicativus adhibetur ubi diserte expressa est haec causalis vis (quia, quod), coniunctivus autem saepe nobis occurrit, ubi eadem notio relativis sententiis ultro additur, ita ne hic quidem mirum est indicativum retineri, ubi satis expressa sit rei sumptae notio, coniunctivum autem frequentari, ubi eadem notio relativis sententiis tribuatur [2]).

---

[1]) Neque ab hac re absonum est, quod in coniunctivi exemplis saepissime, in indicativi ex. rarissime primaria sententia negativa est vel reprehensionem exprimit.

[2]) Facile est originem ac progressus huius coniunctivi, qui apud infinitivos est, dispicere, si cogitamus absolutum nobis videri eum coniunctivum, qui in condicionalibus sententiis est, subiunctioni autem tribuendum esse eum, qui in relativis sent. condicionalibus usu venit. Sed de hac re alias fusius.

§ 3.

Primae personae verbum est in primario enuntiato.

I. Praeteriti temporis est verbum primarium.

A. Coniunctivus obliquus.

Primae personae verbis primariis subiungi posse orationem obliquam si praeteriti temporis essent, iam Madvig [1]) commemoravit, postquam § 368 coniunctivo obliquo *aliena* referri verba et sententias docuit. Atque id iure. Nam et cogitandi rationem apparet esse eandem, sive quis, quae ipse alio tempore senserit aut dixerit, narrat, sive quae alius quilibet: — utraque enim aeque diversa esse sentiuntur ab eis, quae quis, ut mente iam atque cogitatione informat, ita protinus eloquitur — et exempla ostendent inter utramque dicendi rationem nullam esse modorum discrepantiam.

Condicionales sententiae:

Amph. 947. *Ut quae — vota vovi, si domum*
Redissem salvos, — exsolvam —.

Cas. 323. *Negavi enim ipsi me concessurum Iovi,*
Si is mecum oraret.

Ps. 499, 1241. *at ego iam intus promam viginti minas,*
Quas promisi, si effecisset.

Post praesens historicum:

Merc. 83. *Dico esse iturum me mercatum, si velit,*
Amorem missum facere me, dum illi obsequar.

---

[1]) Madvig l. l. § 368 anm.

Temporales sententiae:

Bacch. 1028. *Ego ius iurandum — dedi,*
Daturum id me hodie mulieri —
Priusquam a me abiret. Tamen cfr coni. Ps. 242.

Trin. 1086. *Credidi aegre tibi id, ubi audisses, fore.*

Merc. 84. v. supra.

Causales sententiae:

Most. 520. *mortuum illum credidi*
Expostulare, quia percussisses foris.

[sic cum codicibus Leo, *percussissem* cum Acidalio G.—S.].
Tamen cfr coni. As. 583 et cetera ex. p. 10—11 allata.

Mil. 387. *Ego laeta visa, quia soror venisset.*

Etiamne post perfectum logicum adhibuerit Plautus coniunctivum obliquum, non aeque liquet.

Nam in exemplo, quod est

Mil. 885. *nam ego multos saepe vidi*
Regionem fugere consili, prius quam repertа⟨m⟩ habere⟨nt⟩,

ubi coni. obliquus esse, non verbo *priusquam* deberi, videtur, certa lectio non constat. Non enim difficilius est cum Palmerio pro corrupto codicum *habere* indicativum *hab⟨u⟩ere* substituere, quam cum Lambino coniunctivum *habere⟨nt⟩*.

Post *quom adversativum* (cfr. p. 26) est coniunctivus in

Rud. 1124. *Vidi petere miluom, etiam quom nil aufer⟨r⟩et tamen,*
[B *aufert*, C *auferet*, DFZ *auferret*]

quamquam ne is quidem in constanti codicum memoria. Post *quom temporale* autem indicativum infra reperiemus in Rud. 1251 retineri.

In relativa sententia

Bacch. 953. *Ilio tria fuisse audivi fata, quae illi forent exitio,* [A *fuere,* ceteri *forent*]

indicativum insuper praebet cod. A: *fuere,* quam formam, a Ritschelio receptam, contra rationem esse Ussingio prorsus non assentior. Sed licet verus sit coniunctivus ceterorum codicum: *forent,* de obliquo coniunctivo is nil probat. Optime enim latine dicitur etiam sic: *Ilio tria fuisse audio* vel *scio fata, quae illi forent exitio.*

In temporali sententia

Most. 87. *eam rem volutavi et diu disputavi*
Hominem cuius rei, quando natus es⟨se⟩t,
Similem esse arbitrarer,

coniunctivum quidem non dubito quin recte restituerit Leo, metro consulens. At hic coni. non a perfecto logico proxime pendet, sed ad imperfectum *arbitrarer* se applicat.

B. Indicativus.

Indicativus intra obliquam orationem, quae a I personae verbo praeterito pendet, usu venit, si quae ex suo tempore addit aut circumscribit is qui loquitur.

Aul. 769. *ego te, Euclio,*
De alia re rescivisse censui, quod ad me attinet.
„nämlich eine Sache die mir angeht". Mil. 550.

Ep. 173. *At pol ego te credidi*
Uxorem, quam tu extulisti, pudore exsequi.
'quam t. ext'. = *'mortuam'.* Persa 722–3.

Praesens historicum est in duobus ex.

Curc. 362. *Rogant me servi quo eam: dico me ire, quo saturi solent.*

Non id dicit Curculio se his ipsis verbis usum esse, sed ita iam narrando designat eum locum, quem tum potuit aut digitis demonstrare aut alia ratione quacumque significare.

Merc. 80. *Ego me ubi invisum meo patri esse intellige*
Atque odio me esse, quoi placere[t] aequom fuit. [*esse* (*esset* B) *me*, trai. Pyl.]

Ut in causali sententia Men. 668 p. 16 e) ita modus absolutus est in

Rud. 1186—7. *Credebam* — *Quia* — *evenerat.*

Cum exemplo, quod p. 11 attuli: Cas. 193, plane consentit hoc:

Men. 904. *Sed ego stultus sum, qui illius esse dico quae meas[i]t,*

ubi coniunctivum codicum metro cogente correxit Camerarius. Nam quod ad sententiam attinet, coniunctivus concessivus (non obliquus) ut in Cas. 193 adhiberi potuit, cum verbis *quae meas[i]t* Menaechmus non quid dixerit pronuntiat, sed quid iam opponat eis quae dixerit (cfr. ex. p. 12 et 13 allata).

Etiam quae post perfectum logicum reperiuntur indicativi modi sententiae tales fere sunt, quales ex suo tempore explicando addere potuerit is qui loquitur.

Bacch. Fr. I. *Ulixem audivi fuisse aerumnosissimum,*
Qui annis viginti errans a patria afuit.
949. Mil. 212.

Bacch. 1008. *Tantum flagitium te scire audivi meum,*
Quod cum peregrini cubui uxore militis.

Amph. 279. *Neque ego hac nocte longiorem me vidisse censeo,*
Nisi item unam, verberatus quam pependi —.

Sed in temporali sententia

Rud. 1249. *Spectavi ego pridem comicos ad istunc modum*
Sapienter dicta dicere atque [i]is plaudier,
Quom illos sapientis mores monstraba⟨n⟩t poplo,

indicativus non aliter restat atque si a vero perfecto praesentis penderet (spectavi = memini) — nisi iungendum est: *spectavi, quom monstrabant* (Cf. Bacch. 469, Men. 633).

II. Praesentis temporis est verbum primarium.

Post praesentis temporis verba primaria obliquus quidem coniunctivus adhiberi potest, sive pluralia sunt (dicimus = dicunt) sive temporis quaedam confusio ita subest, ut quis ea eloquatur, quae iam pridem excogitata quasi ex mentis cella proferat, (ex. gr. Cic. Tusc. I, 6, 11—13, cfr. Tusc. I, 4,. 7 *iudicavi*), velut sententiam cuiuslibet iam paratam enarrans. Sed ad Plauti sermonem hoc non attinet.

In Plautinis enim fabulis post praesentis temporis verba regentia semper secundariae enuntiationes iisdem modis afficiuntur atque post ea verba impersonalia, quae non obliquam orationem secum habent. Quod non mirum est, cum et his et illis verbis ea subiungantur, quae quis se iam sentire directe pronuntiat. In Ps. 682 indicativus est post *declaramus* eodem iure quo in ex. p. 15 d) allatis.

A. Coniunctivus.

I. Coniunctivus nobis occurrit in infinitis sententiis relativis et temporalibus, quae ad futurum tempus spectant.

1. Universales sent. relativae:

St. 686. *Quisquis praetereat, comissatum volo vocari.*
Cist. 497. *Quodcumque optes, tibi velim contingere.*
cfr. As. 24. *Video necesse esse eloqui quidquid roges.*

At iam in absoluta dictione adhiberi potuit coniunctivus, qui est in
Merc. 453. *At pol ego esse credo aliquem qui non velit.*
cfr. Capt. 327 *est ubi praestet.* Item in Rud. 406—7. Et in Bacch. 344. *Id mi haud utrum velim licere intellego*
velim coniunctivus potentialis qui dicitur esse potest.
In Rud. 400. *Nam multa praeter spem scio multis bona evenisse.*

‖ *At ego etiam, qui speraverint spem decepisse multos,*

id simul cogitandum est ad verbum *multos* se applicare relativam enuntiationem in concessivo sententiarum nexu.

cfr. As. 560 sqq. et Men. 474—5.

In Bacch. 777. *adiuro, ut, ni* --
— *ei facta cupiam quae is velit,*

coniunctivus est iam in regenti sententia.

2. Forsitan cui videatur in certa re hic coniunctivus adhibitus esse, versus inspicienti qui sunt:

Mil. 1414. *Iuro per Iovem et Mavortem me nociturum nemini,*
Quod ego hic hodie vapularim.

Sed id ex. si comparaveris cum versibus proximis

1411. *Iura te non nociturum esse homini de hac re nemini,*
Quod tu hodie hic verberatu's aut quod verberabere.
[A omittit *non,* fortasse recte],

invenies poetam modos hac mira, quae videtur, ratione ad eam rem scite variasse, quo verbis *quod vapularim* [= si vel quodcumque *vapularo*] utrumque complecteretur: et *quod verberatu's* et *quod verberabere.* Nam perfectum *vapulavi* prorsus non potuit in coniunctivum abire post verbum *iuro.*

3. Temporales sententiae:

Bacch. 58. *Sed ego apud me te esse ob eam rem, miles quom veniat, volo:*
76. *miles quom huc adveniat, te volo Me amplexari.*

4. Qui coniunctivus in condicionalibus sententiis reperitur, etiam in absoluta dictione usurpari potuit. In infinitivo enim pendenti latet is coniunctivus apodoseos, ad quem respondet.

Quae ratio satis aperta est in

Aul. 228. *Nunc si filiam locassim meam tibi, in mentem venit,*
Te bovem esse et me esse asellum:

Nam continuatur absoluta periodus haec:

ubi tecum coniunctus siem,
Ubi onus nequeam ferre pariter, iaceam ego asinus in luto.

Sed non aliter comparata sunt:

Amph. 675. *Magis nunc ⟨me⟩ meum officium facere, si huic eam advorsum, arbitror.*

[*faceres* BDE, *-rem si* IFZ, *-re si* Cam.]

St. 419. *Ere, si ego taceam sev loquar, scio scire te.*

[*sive* A, *sev* BCD]

Ex. Cist. 147. *venerit* nil concludi potest, nil ex. As. 377 *merueris* in comparativa sententia.

II. Coniunctivus in sententiis, quae in rebus veris certisque versantur.

1. In sententias relativas si quando coniunctivus irrepsit, aut causalis aut concessiva est coniunctivi vis.

As. 658. *Nolo ego te qui erus sis mihi onus istuc sustinere.*

Poen. 233. *Miro[r] equidem, soror, te istaec sic fabulari,*
Quae tam callida et docta sis et faceta.

Rud. 537. *Iure optumo me lavisse arbitror.* ‖
Qui? ‖ *Qui* | *auderem tecum in navem ascendere.*

[*Qui* A, *quia* ceteri, quod recepit Schoell addito ⟨*id*⟩ hiatus evitandi causa. Melius Leo: *qui* ⟨*un*⟩*a auderem.*]

2. In duobus exemplis ad negativam vel tantummodo cogitatam notionem coniunctivi, qui est in primario enuntiato, ita assimilatur comparativa sententia, ut in re tantummodo cogitata videatur versari. Conferri igitur possunt versus Trin. 175—6 p. 27 allati.

Poen. 276. *Quid habetis, qui mage immortales vos credam esse, quam ego siem?*

(cogita: *vosne ut mage immortales sitis quam ego siem?*) Sed si *credo* substituimus pro *credam*, etiam *sum* pro *siem* adhibendum est: *(non) credo vos magis immortales esse quam ego sum.*

cfr Persa 237. *Numquam — exterebrabis, tu ut sis peior quam ego siem.*

Ps. 438. *Probum patrem esse oportet, qui gnatum suom*
Esse probiorem, quam ipsus fuerit, postulet.

As. 434. *scio mihi vicarium esse*
Neque eo esse servom in aedibus eri qui sit pluris quam ille sit,

(ad metrum cfr. Klotz Altröm. Metr. p. 229—31 et Skutsch Forsch. I 110 sq.) — nisi forte hoc loco vera est correctura Aldinae *illest*, quam receperunt Goetz et Schoell et Leo. Certe indicativum in ceteris similibus exemplis reperiemus (p. 44). Atque ad ipsam hanc corruptelam (*sit* pro *-st*) conferri potest versus quem dudum inspeximus: Men. 904, ubi in exitu erat *meas[i]t.*

B. **Indicativus.**

I. In sententiis, quibus certae res narrantur, cuiuscumque temporis sunt, numquam subiunctione sola coniunctivus elicitur.

1. Relativa enuntiata,

a) quae adduntur, ut singulas voces explicent, vel parenthesis loco sunt:

As. 68. *Volo me patris mei similem, qui — abduxit.* 291, Amph. 655 (caus.), Capt. 701—2 *(hoc mihi aegrest = crucior)*, Cas. 539—40, 864—5, Curc. 83, Men. 721, 812—3, 292—3 (caus.), Merc. 272—3 (A *exhibent,* ceteri *exhibet*), St. 1—2, 10—14, Truc. 350—1, 544.

Explicativae sententiae hae quoque sunt:

Cas. 219. *cocos — demiror, qui utuntur condimentis,*
Eos eo condimento uno ⟨non⟩ utier, omnibus quod praestat.

Aul. 718. *scio fures esse hic complures,*
Qui vestitu et creta occultant sese —.

b) quae cum universa sententia penitus cohaerent:
Indic. perfecti temp. est.

As. 136. *Ingrata atque inrita esse omnia intelligo,*
Quae dedi et quod bene feci.

Cist. 506, 661 (nuntio), Poen. 1169.

Indic. praesentis t. est.

Amph. 839. *Non ego illam mi dotem duco esse, quae dos dicitur.*

Cas. 220. v. supra.

858. *Neque hoc quod relicuomst plus risuram opinor.*

Mil. 231. *Et ego[m] impetrare dico[m] id quod petis.*

402—3, Persa 510—1,

Mil. 617. *Quid est quod cruciat?*

—21. *|| — ea te facere facinora,*
Quae istaec aetas fugere facta magis quam sectari solet.
(me cruciat = crucior)

2. Comparativa enuntiata sive parenthesis loco sunt: Aul. 815, Ps. 1011. sive ad sententiam necessaria sunt periodi membra:

Indic. praesentis t. est.

Amph. 516—7, 757. *scio istaec facta proinde ut proloquor.*

As. 566. *Fateor — ut praedicas — esse vera.*

Capt. 678, Mil. 633, 780. Men. 1130. Most. 735.

Merc. 470. *(Nugas) Fuisse credo, prae ut quo pacto ego — distrahor.*

Persa 213. *Fateor — me esse, ut decet lenonis familiae.*

Truc. 568. *Meretricem ego item esse reor, mare ut est.*

Ep. 306. *Nullum esse opinor ego agrum —*
Aeque feracem, quam hic est noster.

Cist. 653—4, Cfr. p. 42—3 coniunctivos in Poen. 276 et As. 435.

Bacch. Fr. X *Scio spiritum eius maiorem esse multo*
Quam folles taurini halitant, quom liquescunt
Petrae, ferrum ubi fit.

[*habeant* libri, *halitant* corr. Hermann.]

Truc. 322. *Piscis ego credo* —
Minus diu lavare quam haec lavat.

Indic. perfecti t. est.

Most. 710. *(scio) Peiius posthac fore* q u a m f u i t *mihi.*

3. Causales sententiae

sive adverbii vicibus funguntur, quae liberae fere sunt et ipsum verbum regens definiunt, ut

As. 82, Bacch. 59, Cist. 290, Merc. 521, 577, Most. 29, 1079, Ps. 476—7,

sive subiecti aut obiecti loco infinitivis proxime sunt subiunctae:

Aul. 418. *Istud male factum arbitror,* q u i a *non latus* f o d i.

Capt. 620. *Sed hoc primum me expurigare tibi volo, me insaniam*
Neque tenere neque mi esse ullum morbum, nisi q u o d s e r v i o.

943. *(te) Nolim suscensere, quod ego iratus ei feci male.*

Ps. 642—3.

4. Temporales sententiae:

Perfecti indicativus:

Men. 943. *Et* p o s t q u a m e s e m i s s u s *caesum* (sc. *te*) *virgis sub furcà scio.*

Praesentis indicativus:

Amph. 980. *Volo deludi illum, [e]dum cum hac usuraria*
Uxore nunc mihi morigero.

St. 701. Bacch. 531.

Merc. 1010. *hanc volo prius rem agi quam meum intro refero pedem.*

Futuri indicativus in certa re:

As. 869. *Ego istuc scio*
Ita fore illi, d u m *quidem cum illo nupta* e r i s.

simul certum aut imminens tempus futurum designans:

Truc. 190. *melius iam fore spero, ubi te videbit.*
[*credo* P, *te ubi videret* A]

Poen. 726. *Em istaec volo ergo vos commeminisse omnia*
Mox quom ad praetorem usus veniet,

Mil. 359. *Credo ego istoc exemplo tibi esse eundum actutum extra portam,*
Dispessis manibus, patibulum quom habebis.

[*habebis* CD, Gellius: *habet uis* B¹, *habetis* B², *videtis* A, in v. 359 *exemplo* AB¹, *extemplo* CDB², *perfundum* A, *eundum (-dem B) actutum* ceteri, *eundum* Gellius]

Etiam si cum cod A. legimus

Credo ego istoc exemplo tibi esse pereundum extra portam, non est, quod offendat indicativus *habebis* in immimenti re futura. Sed negare non possum recte Leonem defendere lectionem ceterorum codicum *eundum actutum* his verbis: „*perfundum (i e. pereundum)* A *versum quidem praebens sed sermonem minus plenum et lepidum quam P*". Mirum adhuc esset, codices duo praebere verba eiusdem notionis: *extemplo* et *actutum* (nam *extemplo* est in CDB², *exemplo* in AB¹), si utrumque falsum esset.

His futuri indicativi exemplis opponi possunt ea, in quibus coniunctivum supra repperimus: Bacch. 58, 76 p. 41. In coniunctivo aliquid incertae vel condicionalis notionis inesse videtur (*quom* = *ubicumque* vel *si)*, indicativus rem certiorem reddit et simul futurum tempus, quod in his ex. insuper definitur verbis *iam*, *mox*, *actutum*, apertius designat.

In Capt. 339 modus non dispicitur. Sed indic. fut. exacti est in Pseud. 751.

II. Indicativus in sententiis quae universales vel sumptas res exprimunt.

1. Condicionales sententiae:

Indic. praeteriti temp., verbo regenti praecedens.

Bacch. 1086. *Sicut eum, si convenit, scio fecisse.*

Most. 224—6. *Si tibi sat acceptumst, —*
Soli gerundum censeo morem.
Mil. 272 et Most. 953 *nisi* tantum non in parenthesi.

Indic. praesentis temp.

Verbo regenti praecedit cond. sent. in his:

Aul. 593. *Si erum videt superare amorem hoc servi esse officium reor,*
Retinere ad salutem.
Curc. 513. *Indignis si male dicitur, male dictum id esse dico.*
Merc. 519. *Sei tenue sceis, scio te uberius posse nere.*
902. Most. 953 in parenthesi.
Ps. 375. *Si id non adfert, posse opinor facere me officium meum.*
[*id-adfert* A. *is-aderit* ceteri]
Persa 554. Ps. 1113. St. 71.
Rud. 181—3, 961. *Nam nisi dat, domino dicundum censeo.*

Verbum regens sequitur sententia cond. in his:

As. 947. *Remur impetrari posse,* [*si*] *plausum si*[*c*] *clarum datis.*
Aul. 344. *— quod te scio*
Facile abstinere posse, si nil obviamst.
Cas. 544. *Vin vocem?* || *sine eam: te nolo, si occupatast.*
Mil. 326. *istuc — promitto fore, Nisi — commutas.*
Mil. 455. *Do fidem, si omittis, isto me intro ituram, quo iubes.*
Persa 577. *Veniri hanc volo*
Si potest; si non potest iri hinc volo, quantum potest.
Trin. 53. *Credo hercle te gaudere, si quid mihi malist.*

Indic. futuri temp. est:

Capt. 575. *Servos es, liber fuisti: et ego me confido fore,*
Si huius huc reconciliasso in libertatem filium.
Ep. 8. *Spondeo — me accepturum, si dabis.*
Persa 618, 619. *Nolo te mirari si — percontabimur.*

Ex. Cist. 147, Men. 423—4, Persa 626, Ps. 25 nil concludi potest.

2. Temporales sententiae in infinitis periodis.

Perfecti ind. est:

Most. 91. *Novarum aedium esse arbitro similem ego hominem*
Quando [hic] natus est.

Praesentis ind. est:

Trin. 638. *Nullum beneficium esse duco id, quom quoi facias non placet.*
[*cum cui* A, *quod cui* ceteri (*quoi* B)]

Futuri temporis sententias, quae in certis rebus versarentur, iam supra tractavi p. 45—6.

3. Universales sententiae relativae,

a) non solum quae universali specie res certas comprehendunt:

Cas. 202. *Hoc viri censeo esse omne quidquid tuomst.*
As. 536 cfr. Truc. 76 p. 32.

b) sed etiam quae vere infinitae sunt:

Indic. perfecti t. est:

Bacch. 485. *Nam ego illum perisse dico, quoi quidem periit pudor.*
Curc. 102. *Nam ubi tu profusu's, ibi ego me pervelim sepultam.*
Persa 637. *Omne ego pro nilo esse duco quod fuit, quando fuit.*
Ps. 1259 v. infra.

Indic. praesentis t. est:

Bacch. 385. *ita esse arbitror,*
Homini amico quist amicus, ita ut nomen possidet, Nisi deos ei nil praestare.
Curc. 557. *Quoi homini de sunt proditii, ei non esse iratos puto.*

Cas. prol. 5. *Qui utuntur vino vetere sapientis puto*
Et qui lubenter veteres spectant fabulas.

Merc. 148. *Ego bonum malum quo accedit mihi dari haud desidero.*

Persa 65—7. *(animus induci potest = possum credere)*

Trin. 54. In Ps. 1259—64 iunctura non satis constat.

Indic. futuri t. est.

Cas. 221. *Nam ubi amor condimentum in[i]erit † quoivis placituram credo.*

[*inierit* BEV, *inerit* FZ cfr. v. 484 *ab[i]erit, placiturum* IFZ].

Emendatio versus non constat. Ex Trin. 723—4 nil concludi potest.

Vidimus igitur post I personae verba, quae praesentis temporis essent, eadem ratione atque post impersonalia verba coniunctivum usu venire in infinitis sententiis, quae ad infinitivos se applicarent, quamquam etiam rarius hic. Nullum enim est certum coniunctivi exemplum in periodo quae tota infinita sit, quales coniunctivos post impersonalia verba supra vidimus p. 17—19. Sed quos coniunctivos post I personae verba iam vidimus, omnes sunt intra periodos, quae ad certos homines et res respiciunt, in infinitis sententiis, quae ad futurum tempus spectant, et quidem post sentiendi verba nullum est ex., post dicendi verba unum (Mil. 1414), post voluntatis verba quattuor (St. 686, Cist. 497, Bacch. 58, 76), ad quos coniunctivos multos reperiemus respondere, ubi coniunctivum tractabimus, qui apud coniunctivos est.

Indicativum contra invenimus non solum in certis rebus semper retineri, sed etiam in infinitis iuxta cum coniunctivo ita usurpari, ut vix in ullo ex. contendere liceat, necessario adhibendum esse coniunctivum propter ipsam subiunctionem.

III. Futuri temporis est verbum primarium.

Obliquum coniunctivum quoniam dixi necessario esse usurpandum, si qua in oratione reddenda temporis ratio mutata esset, exspectamus, ut aeque affectos modos reperiamus, ubi quis narret, quae post dicturus sit, quam ubi quae iam dixerit exponat.

Quam spem fallere videntur exempla Plautina, quae indicativum servant.

Merc. 797. *Ibo ad forum atque haec Demiphoni eloquar,*
Me istanc capillo protracturum esse in viam,
Nisi hinc abducit quo volt ex hisce aedibus.

Mil. 239. *Dicam Athenis advenisse cum amatore aliquo suo*
Tam similem quam lac⟨te⟩ lactist.

[*tam (quam lac* B[2]*) lactist* BCD, *lacte* FZ]

Most. 95. Ex As. 913. *voluerit* nil concludi potest. Cfr. Capt. 920. *Dicam, ut — adornet, siquidem sese uti volet.*

Nam post sentiendi verbum futurale obliquum coniunctivum difficile est cogitare:

Merc. 1017. *Annos gnatus sexaginta qui erit si quem scibimus — scortarier,* [*querit* B, *qui erit* D].

Most. 175, Persa 400—1, Ps. 553—4.

Sed praeterquam quod in comparativa sententia est indicativus in Mil. 239 et Most. 95 [1]) — ne in condicionali quidem sententia Merc. 797 est quod coniunctivum miremur. Facile enim fit, ut quis quamquam futuro tempore verbi dicendi utens ea tantum eloquatur, quae iam sentiat. Ut si in Merc. 797 cogites: *eloquar ⟨id quod sentio* vel *quod mihi certum est⟩ me* etc.

Ita quidem contendere licet in cotidiano sermone futuri temporis verbis non aliter affici modos subiunctae periodi atque praesentis.

[1]) Ad indicativum in Rud. 1230, Trin. 849 cfr ex. p. 12 allata.

Sed certo ostendet sermo Ciceronis examinatus, obliquam orationem oriri, ubi quis eadem verba, quae post facturus est, velut notis circumscripta iam nunc refert, quasi re vera alienam orationem reddens.

„Nominativi cum infinitivo“ exempla melius postea omnes personas complectentes tractabimus. Hic tantum commemoro nullum esse coniunctivi exemplum post I personae verba.

---

§ 4.

Secundae personae verbum est in primario enuntiato.

Si una cum Madvigio obliquam orationem (p. 4) appellamus eam, in qua verba et sententiae referuntur, quae non eius sunt qui loquitur, sed alterius, nescio an dixeris par esse II personae verbis orationem obliquam non minus subiungi quam III personae vocibus. Aeque enim alienum ab eo qui loquatur esse eum quem appellet atque eum de quo quid narret. Quod verum esse tibi ita quidem concedo, ut dicam oratione obliqua uti eum qui loquitur, ubicumque significare velit non sua se referre verba atque sententias, sed eius quem appellet. Tamen etiam sic intercedere discrimen inter II et III personam statim videbimus. Multo enim maior hic est ei qui loquitur potestas, ut sua ipse verba et sententias inmittat atque II personae verbo regenti subiungat.

I. Praeteriti temporis verbum primarium,

quod II personae est, oratio obliqua non minus sequitur, atque si III personae esset.

A. Coniunctivus.

Condicionales sententiae sunt:

Amph. Fr. V. *Quid minitabas te facturum, si istas pepulissem fores?*

Curc. 490. *Memento promisisse te, si quisquam hanc liberali Causa manu adsereret, mihi omne argentum redditum eiri.*

709. *Promistin, s i liberali quisquam hanc a s s e r e-
r e t manu,
Te omne argentum redditurum?*
[*Promisistin* EIFZ, *Promistin* B]

Non obliquus est sed, ut in Cas. 193 p. 11, concessivae notioni debetur coniunctivus relativi enuntiati, quem secundum Bentleium metri causa receperunt G.-S. et Leo in

Rud. 272. *Q u a e n e eiectae e mari s i m u s ambae, obsecro,
Unde nos hostias agere voluisti huc?*

Sed quod ad grammaticam rationem attinet, indicativus codicum *sumus* perbene locum defendit.

B. Indicativus necessario requiritur in Amph. 752, Cist. 607, 708—9, Ep. 697—8, Ps. 798; ad Ps. 500—1 *non scibas — quom — mussitabas?* cfr Men. 668 p. 16 e) et Rud. 1186—7 p. 39.

II. Praesentis aut futuri temporis est verbum primarium.

C o n i u n c t i v u s o b l i q u u s usurpatur, ubi re vera alterius verba aut sententiae referuntur, vel ut apte ait Brix ad. Mil. 301 „*h e b t s c h a r f d e n S t a n d p u n k t d e s A n g e r e d e t e n h e r v o r*“.

1. Ubi a f f i r m a t i v a e s t s e n t e n t i a r e g e n s, obliqua oratio rite sequitur.

Men. 848. *Pugnis me votas in huius ore quicquam parcere,
N e i a meis oculis a b s c e d a t.*
[*Ne iam meis* Ba, *ne iam his* BbFZ, *nei amiis* C, corr. Vahlen.]

Aul. 686. *Scis tute facta velle me quae tu v e lis.*
[*vellem aeque* B, *v. eque* ceteri.]

Trin. 891. *Quasi dicas, siquid crediderim tibi, 'pax' periisse
ilico,*

Nam indicativum adhiberi in sententiis, quae aperte loquentis sunt, vix opus est commemorare.

Rud. 1291. *ego qui in mari prehendi*
Rete atque excepi vidulum, ei dari negatis quicquam.

Men. 819, 869. *Me iubes facere impetum in eum qui stat atque occidere.*
(*eum qui stat* = *hunc* v. 864).

Bacch. 1008. *Tantum flagitium te scire audivi meum,*
Quod cum peregrini cubui uxore militis.

2. Ubi interrogativa est sententia primaria, magna ex parte interrogantis arbitrium est, utrum suis verbis uti velit an eius quem compellet: utrum ex sua mente interroget, an ad animum eius quem interroget sententias referat. Quo fit, ut indicativus interdum videatur licenter restare, re vera autem vix aliter atque post III personae verba restet.

Ut coniunctivus obliquus est in

Most. 974[b]. *Ain minis triginta amicam †destinatam Philolachem?*
— ‖ *Aio* ‖ *Et postquam eiius hinc pater*
Sit profectus peregre, perpotasse assiduo.

ain? = „verane sunt *ea quae dixisti* (v. 958) etc"? Temporis igitur quaedam confusio est atque praeteriti temporis significatio.

Indicativus autem in

Men. 1050. *Men hodie usquam convenisse te, audax, audes dicere,*
Postquam advorsum mihi imperavi ut huc venires?

Menaechmus enim putandus est non verba ipsa Messenionis referre, sed tantummodo quaerere, num affirmare

audeat Mess. ea quae iam ipse ei proponit, suis verbis tempus illud circumscribens: *postquam — imperavi.* Nam hoc dicere voluit Men.: „*Nego me convenisse te postquam — imperavi*", in qua periodo necessario indicativus servatur.

A. Coniunctivus.

Condicionales sententiae:

Trin. 695. *Quid? te dictatorem censes fore[s], si aps te agrum acceperim?*

Truc. 624. *Emoriere ocius ⟨ni⟩si manu viceris.*
|| *Quid? manu vicerim?*
[*si* libri, *ni* Stud., ⟨*ni*⟩*si* Brugm.]

Per brachylogiam enim hoc dictum est pro: *Quid? ⟨mene ais moriturum esse ni⟩ manu vicerim?* Cum igitur a. h. l. diceret Ussing „*Repetitur eadem forma qua interrogatum(?) est*" [1]), potius dicendum erat: „Repetuntur interrogatione eadem verba, in obliquam tantummodo speciem conversa" (Cfr St. 333, Ep. 693, Most. 182—3).

Coniunctivum igitur par est accipere etiam in his sent., quae verbum regens sequuntur, sed in quibus utrum coniunctivus sit an indicativus ex verbi specie non possumus concludere:

As. 338. *Iam devorandum censes, si conspexeris?*

612. *Nam quid me facturam putas, si istuc quod dicis faxis?*

Bacch. 1198. *unde illum sumere censes, nisi quod tute illi dederis?* [*censes sumere* trai. Weisius.]

Sed absolutae iam periodo condicionali tribui potest coniunctivus, qui est in Bacch. 1193—5 et Mil. 1150—1, ad universale subiectum spectans.

In relativa sententia

Ps. 482. *ecquam scis filium tibicinam*
Meum amare? — liberare quam velit?

---

[1]) De duobus ex. ita recte dicitur: Bacch. 561, Poen. 353.

id simul cogitandum est, coniunctivum vulgo esse in relativis sententiis, quae ad verbum *ecquis?* se applicant, ut in Amph. 856.

In Poen. 265. *an te ibi vis inter istas vorsarier,*
Prosedas, pistorum amicas, —
—8. *Quae tibi olant stabulum st⟨r⟩atumque,* —
Quas adeo haud quisquam umquam liber tetigit?

coniunctivus *olant* nescio an hypotheticus sit suppressa protasi: ⟨*si inter istas vorseris*⟩, quae sententia latet in verbo *tibi.* (= coniunctivus ad universalem II personam spectans).

Temporalem sententiam Most. 975—6 supra laudavi.

B. Indicativus reperitur in eis sententiis, quas ex sua mente suisque verbis circumscribit is qui interrogat, non solum si quas explicandi causa laxe adnectit ut Amph. 760—1, vel ipsi interrogationi opponit ut

Amph. 561. *audes mihi praedicare id,*
Domi te esse nunc, qui hic ades? 373—4, 730—1,

sed etiam si necessaria sunt membra interrogationis.

In comparativa sent.:

Rud. 1099. *Ut tute's, item omnis censes esse?*

In relativis sent., quae in certis rebus versantur:

Rud. 1035. *Vin qui in hac villa habitat, eius arbitratu fieri?*
1074. *Quid, tu idem mihi vis fieri, quod erus consuevit tibi?*

Persa 681. *Quod te dignumst me dignum esse vis?*

Truc. 546. *Nunc tu num nevis me, voluptas mea,*
Quo vocatus sum ire ad cenam?
[*nunc tu nunēvis mea* B, *num nevis me* C]

St. 294. *An vero nugas censeas, nil esse quod ego nunc scio?*

In temporali sententia, quam supra attuli Men. 1051.

In causali sententia tantum non absoluta:
Cas. 397.
Mil. 499. *An quia latrocinamini, arbitramini*
Quidvis licere facere vobis, verbero?
Trin. 1018. *An vero quia cum frugi | hominibus*
Ibi bibisti, —
Inter eosne homines condalium te redipisci postulas?
Men. 514. *Omnis cinaedos esse censes, tu quia's?*

Quin etiam hae infinitae sententiae, quae verbo regenti praecedunt, ab absolutis sententiis non longe distant:
Merc. 654. *Cedo, si hac urbe abis, amorem te hic relicturum putas?*
490. *Tanti quanti poscit, vin tanti illam emi?*
[*possit* A.]
Trin. 788. *Sed epistulas quando obsignatas adferet,*
Nonne arbitraris tum adulescentem anuli
Paterni signum nosse?
nam in dittographia 788[b] *quom — attulerit* modus non dispicitur.

3. Ubi iussiva[1]) denique est primariae sententiae vis, summa valere videtur modorum usus licentia.

A. Coniunctivus.

Oratio quidem obliqua exoritur, cum quis alteri, quae dicat, ita praescribit, ut ipse plane recedat, quo tota sit eius oratio, cui verba referenda mandat, quasi re vera eius, non sua ipsius, verba reddat. Quae ratio satis aperta est in hac causali enuntiatione, quae ad verbum finitum statim se applicat:

---

[1]) Interrogativa specie interdum iussiva sententia induitur, ut formula illa *quin dicis?* = *dic* vel ut in Bacch. 1193 *non tibi, venit in mentem?* idem est atque *cogita quaeso*. Quin etiam affirmativa sententia a iussiva interdum haud longe distat, ut *vides* («du siehst ja») = *vide*, *dices* (v. p. 60) = «sei überzeugt»,

Mil. 1035. *Me inclamato, quia sic te volgo volgem.*
[*sic tam* libri, corr. Pyl.]

— Vere obliquum esse hunc coniunctivum inde elucet, quod etiam in rebus certis verisque narrandis usurpatur, ut Mil. 1166—7, Truc. 589.

Temporales sunt sent.

As. 367. *narra haec ut nos acturi sumus:*
Te ex Leonida futurum esse atriensem Sauream,
Dum argentum adferat mercator pro asinis.

Mil. 1166. *hasce esse aedis dicas dotalis tuas:*
Hinc senem aps te abisse, postquam feceris divortium.
[*d(ica)s* A, *dicat* ceteri; *abisse* A, *abisset* ceteri;]

Rud. 1336. *Deiera te mi argentum daturum*
Eodem die ⟨tui⟩ viduli ubi sis potitus.
[*Deiura* cod. corr. Bentl. ⟨*tui*⟩ Seuff.] [1])

Relativae sunt sent.

Mil. 182. *I sis, iube transire huc quantum possit,*
[*istis* A, *sis* BCD, *si est* FZ; *possint* A]

981. *Iube sibi aurum atque ornamenta quae illi instruxti mulieri*
*Dono habere, auferre * abs te quo lubeat·sibi.*
[*auferet* BCD, *auferre* FZ; *quod* CD, *iubeat* BC: corr. D]

Truc. 589. *Dic ob haec dona, quae | ad me miserit,*
Me illum amare plurumum [2]).

---

[1]) Nil probat
Bacch. 173. *veneroque te*
Ne Nicobulum me sinas —
Prius convenire quam sodalem viderim.

[2]) Sed per se stare potuit coni. relativae sent.
Persa 302. *Paratum iam esse dicito, unde argentum sit futurum.*

Condicionalis est sent.

Mil. 1185. *Huc venito et matris verbis Philocomasium arcessito:*
—8. *Nisi eat, te soluturum esse navim: ventum operam dare.*

B. Indicativus.

Maiore licentia quam post interrogativa verba indicativus retinetur in periodis, quae a iussivo verbo sentiendi aut dicendi pendent. Nam hoc non solum in eis sententiis fit, quibus certas res circumscribit is qui loquitur, sed etiam in condicionalibus sent. et universalibus sent. relativis, quae a verbo regenti re vera pendent.

I. Et quidem post verba sentiendi indicativus in fabulis Plautinis semper servatur.

Nihil sane probant sententiae, quas is qui loquitur ipse circumscribere potuit, ut in Capt. 606, Ps. 115, Trin. 1026, nihil indicativus post verba talia quale est *sine* in Truc. 734, Capt. 114, Ps. 861.

Sed satis probant exempla quae sunt:

Mil. 915. *Nam, mi patrone, hoc cogitato: ubi probus est architectus,*
Bene lineatam si semel carinam conlocavit,
Facile esse navem facere.
[Cod F *est,* ceteri *esse*]

Most. 255. *Ubi tu commoda's, capillum commodum* esse *credito.* [*commodes* libri, corr. Camer.]

Poen. 240. *Soror, cogita, amabo, item nos perhiberi,*
Quam si salsa muriatica esse autumantur,
[*quam si* BCD, *quasi* FZ.]

Immutati igitur restant in subiuncta oratione iidem

modi atque in paratactica iunctura, ut Most. 216—7, St. 519—20 [1]).

Ad sententiam huc pertinet etiam

Mil. 664. *Leniorem dices (sc. me esse) quam mutumst mare.*
[*dices* = *tibi persuade,* vel *affirmo*]

II. At post dicendi quoque verba indicativus, quamquam obliquam orationem usu venire vidimus, ita interdum servatur, ut eluceat, II personae verbis iussivis non magis affici orationem subiunctam quam I personae vocabulis aut impersonalibus. Quae ratio non mira est, si consideres, et sentiendi verbum quale *cogitato* ad sententiam non distare a I personae verbo quale *moneo* aut impersonali: *cogitandum est,* et pro dicendi verbo quale *dicito* facile substitui posse I personae formam ut *promitto, id dictum volo* vel eiusmodi. Sic dico non mirum esse, si quis interdum II personae verbo iussivo potius ea subiungit, quae ipse iam sentit, quam alterius orationem futuram (i. e. eius, cui verba proferenda mandat). — Eodem modo indicativum servari posse post futuri temporis verba, quae I personae essent, supra monui p. 50.

Quin etiam post III personae verba iussiva indicativum facile retineri posse suo loco p. 14c) quasi praeteriens commemoravi.

---

[1]) Quae cum ita sint, iam divinare tibi licet, quam prave iudicarit Draeger (hist. Synt. II² p. 444), cum de indicativo, qui est:

Ep. 456. *Animadvorte, ut quod ego ad te venio intelligas:*

ita dissereret: «*Die Beibehaltung des Indicativ der direkten Rede ist ganz abnorm*». Quin contra ne potuit quidem in hoc. ex. coni. obliquus usurpari.

Cfr Cic. Pro Sexto Rosc. § 67 *Nolite enim putare, qui aliquid impie — commiserunt, agitari — Furiarum taedis.* § 66 *Videtisne, quos nobis poetae tradiderunt —, ut eos agitent Furiae?*

Nullius quidem momenti est in Amph. 889—90 indicativus post verbum dicendi in sententia rem certam circumscribente. Sed alterum ex., quod ibi conferendo laudavi: Men. 972, ostendit s e n t i e n d i verbum, quod est *recordetur*, non efficere, ut in coniunctivum obliquum transeat indicativus universalis sententiae relativae *qui nihili sunt*. Restat enim indicativus eodem iure quo post *moneo* vel *cogitato*.

Non est cur longus sim in eis sententiis tractandis, in quibus certae res explicantur vel certi homines describuntur:

Capt. 391. *(Dicito) Me — servire h u i c homini optumo,*
Q u i me honore honestiorem semper f e c i t et facit.

Mil. 981. *Iube sibi — ornamenta, quae illi instruxti —,*
Dono habere.

1314.

Most. 916. *Me suasore — id factum audacter dicito,*
Qui subegi faenore argentum ab danista ut sumeret.
[qui = nam ego]

St. 257. *(Nega esse) — nisi hoc quod habeo pallium.*

335.

Ps. 1197. *proin tu Pseudolo*
Nunties abduxisse alium praedam, qui occurrit prior. [*abdux.* A. *addux.* ceteri]
[nunties = per te nuntio]

Trin. 1026. *Quin tu quod periit periisse ducis?*

Quamquam in tali quoque sententia obliquum coni. supra vidimus:

Truc. 589. *Dic ob h a e c dona, q u a e ad me m i s e r i t,*
Me illum amare plurumum.

Atque etiam in his indicativi exemplis quae iam attuli saepe concedendum est ad ipsum verbum regens pro-

xime pertinere, non extra mandatam orationem additam esse, relativam sententiam. Ut in Capt. 391 certo Tyndarus ea quoque verba honorifica relata vult, quae versu 392 continentur.

Sed nihilo minus indicativus suo loco est, sive sententiam relativam putamus ab eo qui loquitur iam esse explicando additam, sive eam censemus a II personae verbo dicendi re vera pendere. Si enim illud accipimus conferri potest Persa 302. *Paratum iam esse dicito, unde argentum sit futurum.*
Iubeto habere animum bonum: dic me illam amare multum:
Ubi se adiuvat ibi me adiuvat. quae dixi ut nuntiares, Satin ea tenes?
[*adluat* libri bis: corr. Valla cum A, ut vid.]

In hoc enim exemplo vix dubium esse potest, quin id quoque solatium, quod inest in verbis: *Ubi — adiuvat* (v. 304), Toxilus amicae suae allatum velit. Quom igitur dicere potuisset: *Ubi se adiuvet, ibi (illam) me adiuvare,* absolutam formam adhibuit, confidens etiam sic puellam haec verba esse relaturam.

Sin autem re vera pendere dicas sententias relativas, ea accipiendi ratio defenditur reliquis exemplis quae sunt:

Universales sent. relativae:
Mil. 1070. *Dic*[1]) *me [hi] omnia quae volt facturum.*
cfr coni. post *dic* in Truc. 589.
Mil. 974. *Quin tu illam iube abs te abire quo lubet.*
[sic D^3FZ, *quod iubet* BCD^1]
cfr coni. Mil. 981. *Iube — auferre — abs te quo lubeat sibi.*
Men. 529 v. infra.

Comparativa sent: Capt. 737—8.

---

[1]) Cfr. Cic. Tusc. I, 101. *Dic nos te hic vidisse — dum obsequimur.*

Causalis sent.:

Mil. 1411. *Iura te non nociturum esse homini de hac re nemini,*
Quod tu hodie hic verberatu's aut quod verberabere.
Si te salvom hinc mittemus Venerium nepotulum.
[sic A nisi quod in 1411 *non* omittit, *verberare* — *mittimus* P]
cfr coni. Rud. 1336. *Deiera te mi argentum daturum*
Eodem die, ⟨tui⟩ viduli ubi sis potitus.

Condicionales sent.:

Mil. 453. *te nusquam mittam, nisi das firmatam fidem,*
Te huc, si omisero, intro ituram.
[*sin omiseret* B¹, corr. B²]
cfr proximum versum:
455. *Do fidem, si omittis, isto me intro ituram.*
Mil. 1413. *si* — *mittemus* v. supra.
Men. 528. *Et istuc et aliud si quid curari volet*
Me curaturum dicito, quidquid volet.
[dicito = spondeo]

His exemplis perlustratis elucet, quo usque loquenti optio patuerit, utrum coniunctivum obliquum adhiberet necne post II personae verba iussiva. Obliquum coniunctivum dixi. Quamquam enim eadem esse videtur haec modorum vicissitudo atque post I personae verba praesentia aut impersonalia verba, tamen obliquum esse eum saltem coniunctivum apparet, qui in sententiis, quae de certis rebus praedicantur, usu venit. — Nam in universalibus scilicet non possumus discernere, utrum obliquus sit, an infinitivo debeatur (ut in Mil. 981). — Id autem secundae personae cum prima commune est, quod indicativus in subiuncta oratione passim restat, ubi quis eloquitur, quae iam sentiat velitve.

§ 5.

De nominativo cum infinitivo.

A. Coniunctivus.

In § 2 vidimus coniunctivum usurpari non solum in eis sententiis infinitis, quae ad accusativum cum infinitivo se applicarent, sed etiam — rarius quidem, at prorsus iisdem legibus (v. p. 17 sq.) — in eis, quae apud dativum c. inf. essent:

Aul. 751 (p. 18) *Si ebrio — facere quod lubeat licet.*
Cas. 872 (p. 20) *Et ibi audacius licet*
Quae velis libere proloqui.

aut apud simplicem infinitivum:

Aul. 593—4 (p. 17), As. 24 (p. 20), in quibus tamen incertum est, utrum impersonali verbo coniunctivus debeatur an I personae verbo, quod totam periodum complectitur.

Quaeritur iam, num etiam in personali structura, qui vocatur nominativus cum infinitivo, usu veniat hic coniunctivus infinitae sententiae, quae infinitivi notionem explicet vel expleat. — Nam obliquum coniunctivum scilicet non opus est hic respicere: qui cum etiam ad indicativum regentem passim se applicet, res aperta est post nominativum c. inf. posse adhiberi (ut Mil. 387 p. 36). —

Unum saltem est exemplum Plautinum, quod probet, re vera usurpari coniunctivum, quem quaerimus:

Amph. prol. 39. *Debetis velle quae velimus,*

in universali sententia relativa, post secundae quidem personae verbum primarium, sed ita ut de obliquo coniunctivo non magis liceat cogitare quam in hac periodo:

Par est (decet, oportet) vos velle quae velimus,

ubi vera huius coniunctivi natura satis aperta est.

Atque iam per se probabilis est hic coniunctivi usus, si consideramus, quam prope inter se accedant structurae impersonalis et personalis.

Ut si hoc ex. inspicimus:

Cic. Or. 44, 151. *mos est Athenis laudari in contione eos qui sint in proelio interfecti,*

quantulum interest utrum dicamus: *mos est Athenis laudari eos* — an (secundum Capt. 985—6 p. 19): *mos est Atheniensibus laudare* — an *solent Athenienses laudare* —? ne commemorem, multa esse verba impersonalia, quae ad nominativum c. inf. proprie referenda sint, ut Most. 666. *decretumst* = *decrevi,* sic saepius *certumst,* Persa 66. *animus (sc. meus) induci potest,* Capt. 701. *hoc mihi aegrest,* Mil. 621. *me cruciat* = *crucior.*

Sed simul non mirum est, raro hunc coniunctivum in nominativo c. inf. nobis occurrere. Ibi enim verbum finitum adeo praevalet, ut difficile sit sententiam secundariam cum infinitivo praecipue coniungere [1]). Quare coniunctivus vix potest provenire, nisi ei aliae quoque rationes suffragantur: qualis est ratio in Amph. 39 in ipso verbo *velimus.* Nam *volo, velim, volam* in Plauti lingua non longe inter se distant.

---

[1]) Ut si in

Men. 87. *Quem tu adservare recte ne aufugiat voles,*
Esca atque potione vinciri decet,

cum reliquis codd. legimus *debet,* relativa sent. subiectum fit verbi finiti *debet,* sin autem cum cod. B scribimus *decet,* rel. sent. subiectum est infinitivi *vinciri.*

In ceteris sententiis relativis, quae huc afferri possunt, aperta est coniunctivi explicatio:

Ut in negativis sententiis:

Trin. 357. *Non — tibi pernegare possum quicquam quod velis:*
Truc. 699. *neque potes⟨t⟩ reperirier, quoi — melius — velim.*
Capt. 346. *Neque quemquam — quoi plus credat potes Mittere.*

in infinitis sententiis affirmativis:

As. 560—9 post *multa iterari possunt* [1]),
Truc. 485—6 post *mille memorari potest,*

in consecutiva sent.:

Ps. 797. *Nam hic solus illis coquere quod placeat potest.*
Condicionalis est coni. in Most. 443.

Praeterea coniunctivus nobis occurrit in condicionalibus periodis, ubi in apodosi est indicativus *verbi modalis* cum infinitivo, in protasi coniunctivus.

Huius coniunctivi rationem syntacticam, qui concinnitatem modorum condicionalium laedere videtur, duobus viis explicare studuerunt viri docti, neutra recte: 1) aut enim ad ellipsim vel brachylogiam confugiunt, 2) aut indicativum verborum modalium idem fere aiunt exprimere quod coniunctivum ceterorum verborum.

1. Ellipsim statuit Langen Beitr. p. 50, cum hanc explicationem proferret:

Poen. 351. *Si sapias, curam hanc facere compendi potes.*
"du kannst dir diese Sorge sparen ⟨und würdest es thun⟩ wenn" etc.

Neque quidquam profecit Lindskog [2]) brachylogia pro ellipsis nomine substituta, re autem non explicata. Quid

[1]) Cum in Plautino sermone coniunctivus non reperiatur post formulam: *multi sunt qui* —, indicativus autem in Rud. 1236 post *plurumae fiunt transennae ubi,* suspicari licet propter infinitivum *(multa iterari possunt ubi)* in As. 560—9 et Truc. 486 facilius coniunctivum provenisse.

[2]) Lindskog: De en. apud Pl. et Ter. condicionalibus p. 119 sq.

enim deest aut per brachylogiam addi potest in exemplo allato? Nihil, modo ea verba, quae adsunt, diligenter spectemus, et ea coniungamus, quae sunt coniungenda.

Si enim coniungas : *si sapias*, — *potes* nulla evadit ratio condicionalis. Nam *potes* absolute dictum est, *si sapias* voti loco est. Sed si infinitivum *facere* spectes, verus condicionalis nexus elucet. In infinitivo enim latet is coniunctivus ad quem respondet condicio illa *si sapias*. : *Si sapias, curam hanc compendi facias.* Deinde verbo *potes* haec periodus subiungitur.

Quam explicationem iam p. 21 paucis adumbravi atque hoc impersonalis verbi exemplo illustravi:

Bacch. 818. *Hunc si ullus deus amaret, plus annis decem,*
Plus iam viginti mortuom esse oportuit.

i. e. *si* — *amaret*, *mortuus esset* — (ita) *oportuit.*

Eadem ratio forsitan etiam apertior sit, ubi ab indicativo verbi modalis non infinitivus pendet, sed coniunctivus, ut Ps. 285. *Fuit occasio, si vellet, iam pridem argentum ut daret.*

Nam nimis mirum est, Langenium in hoc quoque exemplo de ellipsi locutum esse p. 46, verba *fuit occasio, si vellet* explicantem, quamquam luce clarius est verba hac ratione iungenda esse:

Fuit occasio iam pridem ut daret, si vellet.

Simile est ex. praesentis temporis

Ter. Andr. 918. *Ni metuam patrem, habeo pro illa re*
illum quod moneam probe.

Cum enim verbum quod est *habeo* nulla condicione astrictum sit, apparet ad hanc normam verba esse copulanda:

„Habeo quod *moneam ni metuam*".

Aul. 320, Trin. 85—87, 157—8.

Sed ad infinitivos redeamus.

Si iam in Poen. 351 difficile erat brachylogiam fingere, qualem brachylogiam accipiamus in

Curc. 246. *Potin coniecturam facere, si narrem tibi*
Hac nocte quod ego somniavi dormiens?

equidem concedo me plane non intelligere — nisi quidem etiam huiusmodi nexui eam possis obtrudere:

Potin ut coni. facias, si narrem?

aut huic (cfr Trin. 5):

Promittin coni. facere, si narrem?

Vel si id exemplum examinamus quod ne ellipsis quidem auxilio Langen [1]) potuit explicare:

Most. 462. *Quo modo pultare potui si non tangerem?*

quam aperta est modorum ratio. Intimis enim vinculis connexa sunt verba *pultare* et *si non tangerem* („klopfen ohne zu rühren"), quae omnia complectitur vocabulum *potui*, perinde ac si scriptum sit:

Quo modo fieri potuit, ut pultarem, si non tangerem?
aut: *Quo modo credidisti me pultare, si non tangerem?* [2])

---

[1]) Langen Beitr. p. 47: *Lediglich durch den Modus anstössig ist, so viel ich weiss, nur eine einzige Stelle: Most 458, da in der That das 'posse' selbst von dem 'tangere' abhängig ist.*

[2]) In exemplo quod est

Cas. 440. *Volui Chalinum, si domi esset, mittere.*

non necesse est excultam vim irrealis praesentis accipere, sed veram praeteriti temporis notionem non minus agnoscere licet quam in Ps. 285 (v. supra) vel in hoc. versu:

As. 452. *Sed, si domist, Demaenetum volebam,*

i. e. ›Es *war* meine Absicht (als ich hieher ging) — ›

In Cas. 440 igitur:

Meum consilium fuit, ut Chalinum, si domi esset, mitterem.

Nam verba *volebam* et *volui* solito Romanorum more usurpata sunt, quibus placebat, ubicumque fieri posset, praeteriti temporis verbis uti, etiamsi ad praesens tempus aequo iure rem referre liceret, ut

Merc. 434. *Quo vortisti?* (Prave Ussing: *quo vortis te?*)
Mil. 867. *modo intellexi* (‹nun verstehe ich›), Cist. 699.

Cetera ex. sunt:

Bacch. 447. *hocine hic pacto potest*
Inhibere imperium magister, si ipsus primus vapulet?

i e. „cogitarin potest, magistrum imp. inhibere, si i. pr. vapulet?"

Poen. 864. *Me non perdent: illum ut perdant facere possum, si velim,*
Meum erum ut perdant, nei mihi metuam.

[sic A, *perde nullum* BD[1]. *possim* CD, *ne* B, *nei* CD]

Condicionibus *si velim* et *ni metuam* non verbum *possum* astringitur, quod absolute dictum est, sed infinitivus *facere*.

Bacch. 479. *Nullo pacto res mandata potest* a g i *n i s i identidem*
Manus f e r a t ⟨*ei*⟩ *ad pappillas, labra a labris nusquam auferat?*

[⟨*ei*⟩ Leo. v. 479 uncis inclusit Goetz.]

Capt. 309. *volueram* (= velim).

Qua via facile indicativus verborum modalium ex praeteriti temporis significatione ad irrealem praesentis temp. vim pervenit. Non sufficiunt enim ii progressus, quos nobis proposuit *Schmalz* Lat. Synt. § 298, cum haec doceret: «*Der Konj. Imperf. welcher mit Aufgebung der präteritalen Natur den Irrealis der Gegenwart vertrat, zog nun auch den Indik. Imperf. nach sich, — zunächst nur bei den Verben des Könnens, Müssens und Wollens* —». — Verum quidem hoc est, temporis quadam attractione indicativum irrealem verborum modalium incrementum cepisse — cuius attractionis exemplum illustre est Varro L. L. IX § 23 *si enim usquequaque non esset analogia, tum* s e q u e b a t u r *ut in verbis quoque non esset.* — Tamen si imperfecti coniunctivum ex praeteriti temporis notione paulatim attenuata ad irrealem vim praesentis pervenisse statuimus, non est cur non eadem via etiam indicativum irrealem verborum modalium per se (non ad coniunctivi similitudinem) excultum esse credamus. Quae ratio et in illis exemplis (Ps. 285, Cas. 440), quae laudavi, perspicitur et aperta est, si cogites, quantulum intersit inter praeteriti temporis exemplum: *hoc iam pridem factum esse oportuit* et praesentis: *hoc nunc factum esse oportuit.*

In reliquis ex. aut concessiva aut optativa vis insuper inhaeret condicionali sententiae, coniunctivo indulgens.

Concessivae sent.

Amph. 450. *Quadrigas si nunc inscendas Iovis*
Atque hinc fugias, ita vix poteris effugere infortunium.

As. 164, Cas. 314—16, Ep. 610—1, Most. 351, Persa 40, Curc. 449—51, Merc. 595—6, Mil. 803, Ps. 792—3.

Optativae sent.

Mil. 763. *Haud centesuma⟨m⟩*
Partem dixi atque, otium rei si s⟨t⟩it, possum expromere

(Capt. 850), Cist. 308, Mil. 1356, Poen. 351, Ps. 785—7 [1]).

Sed vera atque iusta brachylogia est ea, quae perspicitur in

Trin. 565. *Et ego esse locuples, verum nequicquam volo.*
|| *Licitumst, si velles.* [*Licitusi* P]

Quid enim est per se verbum illud auxiliarium *licitum est,* nisi cogitatione expleveris, quid sit quod licuerit i. e. ⟨*locuples esses*⟩? Dum igitur cogitatione suppleamus id, quod et ad sententiam plane necessarium est et in verbis proximis ita adest, ut non opus fuerit diserte idem rursus exprimere, habemus, quo se referat condicionalis sententia *si velles:*

Licitumst ⟨locuples esses⟩ si velles,

ne quis cum Langeno molestam ellipsis explicationem adhibeat: "Lesbonikus konnte in der That reich bleiben ⟨*und wäre es geblieben*⟩, wenn er es danach gemacht hatte".

[1]) In hoc exemplo:
Ps. 785. *Si quispiam det qui manus gravior siet,*
7. *Comprimere dentes videor posse aliquo modo.*
certe coniunctivus non verbo *videor* debetur. Dici enim potuit: *Si qu. det, possum* etc.

Eadem esset ratio, si pro *licitumst* scriptum esset *potuisti:* i. e. *potuisti* ⟨*locuples esse*⟩ *si velles.* Nam etiam infinitivum cogitatione supplere possumus post *licitumst:*

Licitumst ⟨*tibi locupleti esse*⟩ *si velles.*

Eiusmodi sunt ex.

Aul. 254. *Neque — facio neque, si cupiam, copiast.*
i. e. copiast ⟨ut faciam⟩ si cupiam.

Ps. 291. *si facere possim, pietas prohibet.* ⟨*sc. ne faciam*⟩. Truc. 877.

Haec igitur omnia exempla ita explicavi, ut dicerem in infinitivo (sive ascripto sive audito), qui a verbo modali penderet, latere eum coniunctivum apodosis, ad quem responderet coniunctivus protasis. Deinde totam hanc periodum condicionalem complectitur *verbum modale* haud aliter atque I personae verba in exemplis, quae attuli p. 41—42, aut impersonalia p. 21—22. — Sed ut in illis periodis, quae I personae verbis aut impersonalibus subiungerentur, coniunctivum dixi iam in absoluta dictione adesse, ita ne hic quidem ullum est ex., in quo pro certo contendere liceat, ex ipsa subiunctione coniunctivum protasis ortum esse — etiamsi non absonum est eiusmodi explicationem accipere in Bacch. 447—8: *vapulet* pro *vapulat* in subiuncta periodo universali, itemque in Bacch. 479—80 *ferat* pro *feret.*

2. Hac via modorum ratione explanata simul intelligitur, cur improbanda sit eorum [1]) sententia, qui docent indicativis verborum modalium usos esse Romanos, quia hae formae iam per se idem fere exprimerent, quod coniunctivi ceterorum verborum. Haec enim coniunctivi modi vis, penitus re spectata, non in ipso indicativo verbi mo-

[1]) *Foth,* Die Verschiebung lateinischer Tempora in den Roman. Sprachen: Boehmeri 'Roman. Studien' VIII. Argentorati 1876 p. 263.

Cum eo facit *Blase:* De mod. temp. permutatione p. 44.

dalis inest, sed in infinitivo (aut coniunctivo), qui ab eo pendet, vel potius in utroque artissime coniunctis. Nam cum proxime cum infinitivo suo verbum modale cohaereret, fieri vix potuit, quin ita potissimum verba acciperentur, quasi coniunctivus protasis in absoluta periodo condicionali responderet ad indicativum illum cum infinitivo (aut coniunctivo) copulatum [1]). Qui infinitivus (aut coniunctivus) a modali verbo pendens cum haud raro non ascriberetur sed audiretur, eo facilius latiusque hic usus indicativi verbi modalis ad protasis coniunctivum respondentis analogiae auxilio serpere potuit. — Id quoque monendum est, parenthesis fere loco haud raro esse condicionem illam, qua restringitur indicativus verbi modalis, qui per se absolute valet — et quidem non solum ubi concessiva (ut Most. 351. *Nec Salus nobis saluti iam esse, si cupiat, potest.*) aut optativa (*si* = *si modo* vel *dum* ut Capt. 850 *Scis bene esse, si sit unde*) est cond. sent., sed etiam ubi *si* idem est quod *si forte* (ut in Poen. 864 *facere possum, si velim.* Cfr Merc. 430. *At ego si velim, iam dantur,* vel Rud. 1020. *Numqui minus, si veniat nunc dominus quoiust, ego — fur sum quam tu?* Amph. 336, St. 171, Poen. 1085. *mea — habebit, siquid me fuat* [*fuit* B], Trin. 157).

B. **Indicativi** exempla nil attinet in re aperta enumerare, qui frequens scilicet nobis occurrit in secundariis sent., quae ad nominativum c. inf. (aut impersonalem structuram quae idem valet, ut *certumst,* = decrevi, volo; *pudet* = nolo) se applicant, sive in certis rebus versantur, sive in infinitis ut Capt. 352,
Mil. 645—6. *Commemini — tacere[t], quom alienast oratio;* etiam in eis, quae ad futurum tempus spectant ut Mil. 312, Cas. 91—2,

[1]) Quo etiam post factum est, ut interdum coniunctivus verbi modalis proveniret, concinnitati modorum inserviens. Cfr Truc. 315 *censeam* pro *censeo.*

Ep. 658. *sed memento, si quid saevibit senex,*
Suppetias mihi cum sorore ferre.

(impers. Merc. 505—6, Most. 667. *Quidquid dei dicunt, id decretumst dicere. dicunt = dicent*)

Etiam *obliquae orationis* licentiam quandam a nominativo cum infinitivo proficiscentis, deinde in rectam orationem abeuntis non possum non breviter perstringere.

Ut in Merc. 229—251, Demipho senex somnium ita exponit, ut primum (v. 229—33) narrationem subiungat verbis: *mihi visus sum*, deinde (234—244) licenter pergat quasi de re vere facta, non de somnio:

234. *Ea simia adeo post haud multo ad me venit* etc., post in vv. 245—51 subiuncta et absoluta narratio identidem varientur.

Eadem, quin etiam maiore, variandi licentia utitur Daemones senex in somnio referendo Rud. 598—610.

Quin si eos ipsos versus spectamus, in quibus cum praeteriti temporis verbo subiuncta oratio sit, coniunctivum obliquum exspectamus, in eis quoque modos absolutae narrationis reperimus

ut Merc. 230. *Ei ne noceret, quam domi ante habui capram*
Neu discordarent, [ni]si ambae in uno essent loco,
Posterius quam mercatus fueram, visus sum
In custod⟨e⟩lam simiae concredere.

Sed et haec et illa licentia scilicet ex brevi confinio somnii atque rei verae profluit, cum sibi videatur senex ille ea narrare, quae tamquam praesenti evenerint.

Iusta autem obliqua oratione et ad finem usque continuata utitur Philocomasium in Mil. 383—92, ubi exponit, quid per quietem viderit.

De Bacch. 925 v. p. 15.

§ 6.

Res summae in brevi conspectu positae.

Plautinum sermonem examinantes studuimus eruere, qua ratione afficeretur in subiuncta oratione indicativus secundariae sententiae, cum in infinitivum transiret sententia primaria.

Repperimus duo exemplorum genera esse seiungenda:

I. Obliquam orationem et

II. Ceteram or. subiunctam.

I. Obliquam orationem secundum Madvigium et Zanderum appellamus eam, in qua verba et sententiae referuntur, quae aliena sunt ab eo qui loquitur, sive alterius personae sunt, sive a tempore tantum loquentis aliena, vel ut Madvigii verbis (p. 4) paulum mutatis utar: „Sätzen — welche eine Äusserung oder Vorstellung enthalten — die nicht der Redende selbst als seine jetzige ausspricht".

Intra hanc orationem coniunctivum obliquum reperimus necessario requiri in omnibus sententiis secundariis, quae re vera ad eius mentem referuntur, de quo enuntiatio regens praedicatur, sive res certas sive res cogitatas significant, cum indicativus in eis tantum sententiis usurpetur, quas is qui loquitur aut ipse addit aut suis verbis circumscribit.

Obliquum igitur coniunctivum invenimus

A. Post vere praeteriti temporis verbum, quaecumque est verbi persona.

B. Post praesentis aut futuri temporis verbum,

1. si III persona est (tamen post universalia verba, ut *aiunt*, indicativus liberius retineri posse videtur):
2. si II persona aientis aut vere interrogantis est: sin autem praecipientis est, libera modorum optio patet [1]).
3. Si I persona est, in Plauti sermone numquam oratio obliqua provenit.
4. Verbum impersonale ibi tantum obliqua oratio sequitur, ubi eam requireret personalis structura, quae ad sententiam responderet, substituta.

II. Ab hac obliqua oratione diligenter distinguenda est reliqua subiuncta oratio.

Nam extra eos fines, quos iam designavimus, i. e. si quis ea eloquitur, quae ipse iam sentit, coniunctivus in subiuncta oratione non exoritur nisi in universalibus (infinitis) sententiis secundariis, quae infinitivi notionem explent, ad futurum tempus semper spectantes, si non intra infinitas periodos sunt.

Quin in Plauti sermone ad futurum tempus quodammodo omnia exempla spectant, in quibus praeter subiunctionem nulla coniunctivi ratio percipi potest. Nam si non ipsa sententia secundaria futuri temporis est, in verbo regenti aliqua voluntatis notio est, quae ad futurum tempus totam periodum refert. — Simplici enim dicendi verbo ex omnibus unus tantummodo coniunctivus subiungitur (Mil. 1414

---

[1]) Forsitan cui parum videar mihi constare, quod necessario quidem dixi coniunctivum obliquum requiri, sed post II personae verbum iussivum concedo liberam optionem patere. Hunc autem indicativi usum liberiorem inde vidimus venire, quod II personae verbo iussivo non oratio eius qui appellatur subiungitur, sed verba eius ipsius qui loquitur. Attamen obliquum hunc coniunctivum si quando nobis occurrit iure mihi videor appellasse, quia etiam in certis rebus usurpatur.

iuro — *quod vapularim* = *vapularo* p. 41), ceteri ex huiusmodi verbis pendent: *oportet, decet, licet, aequum est, volo.*

Sed ne in his quidem infinitis sententiis coniunctivus necessario requiritur.

In iis autem sententiis, quae ad certas res et certos homines respiciunt (in Plauti sermone etiam in infinitis periodis quae ad praesens tantum tempus referri possunt), coniunctivus non provenit nisi aliae simul rationes ei suffragantur.

Ad irrealem enim notionem primariae sententiae secundaria semel (Trin. 175—6 p. 27. cfr. Bacch. 196, 564) ad negativam semel vel bis (Poen. 276 et As. 435 p. 42—3, cfr Mil. 426, 554, 556) ita assimilatur ut in re irreali aut cogitata ipsa quoque versari videatur. Ceteroquin coniunctivus est in relativis aliisve sententiis eas notiones intendens, quas etiam in absoluta dictione exprimere potest, quamquam eo facilius apud infinitivum subiunctum coniunctivus provenit, quod illustrior ibi est ea modalis vis cui inservit.

Ubi igitur in primaria sententia est

1. I personae verbum praesens aut futurale,

2. verbum impersonale (exceptis eis, quae obliquam orationem secum habent: v. supra), ibi in secundaria sententia, quae apud infinitivum subiunctae orationis est, indicativus in Plauti sermone et si infinita est libere servari potest, praesertim si non ad futurum tempus refertur, et, si definita est (i. e. ubi de re certa agitur), semper servatur, nisi aliae rationes accedunt, quae coniunctivo faveant.

3. Item post II personae verbum iussivum in secund. sent. subiunctae periodi indicativus saepe retinetur, si dicendi verbum est, semper si sentiendi verbum est.

II.

De coniunctivo qui est apud coniunctivos.

§ 1.

Coniunctivus obliquus.

Coniunctivum obliquum, qualem in priore huius disputationis parte definivimus et ab eo distinximus qui regenti infinitivo deberetur, prius excipiamus quam coniunctivum ex assimilatione quae dicitur vel attractione modorum profectum aggrediamur. Ille enim suam habet vim, ut secundariam sententiam a loquente alienam esse significet, atque in omnis generis sententiis necessario requiritur, nisi quas is qui loquitur ipse circumscribit (aut addit) — hic autem regenti coniunctivo debetur vel ad eum assimilatur: qui coniunctivus assimilationis item ut is qui regenti infinitivo debetur neque in omnis generis sententiis usu venit neque, ubi adhibetur, aeque necessario adhibetur.

I. Tertiae personae verbum personale est in primario enuntiato.

A. Coniunctivus.

1. Condicionales sunt sententiae:

Amph. prol. 64. *Nunc hoc me orare a vobis iussit Iuppiter,*
67. *Siquoi favitores delegatos viderint,*
Ut is in cavea pignus capiantur togae.

Curc. 425. *Quod istic scriptumst, id te orare iusserat*
Profecto ut faceres, suam si velles gratiam.

Merc. prol. 60. *Quod nisi puderet, ne luberet vivere.*

Non tanti est hoc ex.

Ps. 899. *nam eum circum ire in hunc diem*
Ut me, si posset, muliere intervorteret.
[*iret* BCD, *possit* B]

Nam licet admodum crebro indicativus *si possum* etc. in hac formula usurpetur, tamen ostendunt talia coniunctivi exempla, qualia sunt

Vidul. 56. *Ibo et quaeram si quem possim sociorum nanciscier*
Seu quem norim qui —,

68, Most. 837—8, Trin. 531, etiam extra obliquam orationem coniunctivum adhiberi.

2. Relativae sententiae:

Amph. 81. *Hoc — etiam — in mandatis dedit,*
—3. *Qui sibi mandasse[n]t delegati ut plauderent,*
Quive alter quo placere[n]t fecisset minus,
Eius ornamenta et corium uti conciderent.

As. 443. *Nam retineri, ut quod sit sibi operis locatum efficeret.*

Bacch. 550, 788. *Orabat quod istic esset scriptum ut fieret.*
(cfr ind. Curc. 425.)

Cist. 84. *gessit morem — mihi*
Ut me, quem ego amarem graviter, sineret cum eo vivere.

Poen. 4. *Audire iubet vos imperator — histricus,*
Bonoque ut animo sedeate in subselliis,
Et qui esurientes et qui saturi venerint.
[*sedeate* BCD, quod recte defendit Leo]

Ps. 57. *Ut qui huc adferret eius similem symbolum*
Cum eo simul me mitteret.
[*Qiqui* A, *ut qui* P; *mittere* CD]

Ps. Arg. I, 3, II, 6 item.

Rud. 873. *Tibi optigit, quod plurumi exoptant sibi,*
— ut id quod quaerant inveniant sibi,
in quo ex. *ut* pendet a verbo *exoptant.*

Aul. 29. *Is scit adulescens quae sit quam compresserit.*
Cfr indicativum circumscribentis in Cist. 179 p. 14 et a I personae verbo pendentem in Aul. 33. De coni. Amph. 1015 infra. Incerta est verbi species in

As. 121. *moriri sese mavolet*
Quam non perfectum reddat, quod promiserit.

3. Temporales sententiae:

Cist. 101. *Nunc mea mater iratast mihi,*
Quia non redierim domum ad se, postquam hanc rem resciverim.

As. 184. *et quoque catulo meo*
Subblanditur novos amator, se ut quom videat gaudeat.

Mil. 578. *(scio quam rem gerat:) Ut, miles quom — adveniat — comprehendar.*

Bacch. 43. *ut, ubi emeritum sibi sit, se revehat domum.*

Ep. 316. *⟨ut⟩, dum rem dinam faceret, cantaret sibi.*

4. Comparativa sent.

Trin. 305. *Qui homo cum animo — depugnat suo,*
Utrum itane esse mavelit ut eum animus aequom censeat,
An ita potius ut parentis eum esse — velint.

Ad *eum* pro reflexivo *se* v. p. 9—10.

Non pauca quidem iam ex his exemplis sunt, in quibus coniunctivus suo loco esset, etiamsi non obliqua ratio adesset, quae tamen efficit, ut eo magis ille modus requiratur.

In aliis iunctionibus (praesertim si negativa est primaria sententia) obscurior est, si ulla, obliqua vis, ut in his infinitis sententiis intra consecutivas periodos:

Curc. 377. *Habent hunc morem plerique argentarii,*
Ut alius alium poscant, reddant nemini,
Pugnis rem solvant, siquis poscat clarius.
[*soleant*, corr. B²]

Amph. 46. *Sed mos numquam illi fuit patri meo †,*
Ut exprobraret quod bonis faceret boni.

Merc. 35. *Quia nullus usquam amator adeos⟨t⟩ callide*
Facundus, quae in rem [in]si⟨n⟩t sua⟨m⟩ ut possit loqui.

Obliqua quidem vis (finalis ut in Amph. 10) cogitari potest et in hoc exemplo et in simili Trin. 34. *Nimio — pluris Faciunt — quam id quod prosint pluribus.* Sed non propter reflexivum pronomen *suam* id necesse est (cfr p. 16 huius disp.). In utroque ex. coniunctivus iam negativae notioni debetur: *nihil quod in rem suam sit.*

Coniunctivus assimilationis potius quam obliquus agnoscendus est in

Trin. 210. *Falson an vero laudent culpent quem velint*
Non flocci faciunt, dum illud quod lubeat sciant.

B. **Indicativus.**

Indicativus in sententiis quae loquentis sunt iisdem legibus, quas p. 11 sqq. huius disp. cognovimus, nobis occurrit.

1. In sententiis quas ad explicandum addit is qui loquitur, ut in compar. sent. quae parenthesis loco est:

Merc. 428. *Mandavit, ⟨ut⟩ ad illam faciem, ita ut illast, emerem sibi.*

vel in relativa:

Cist. 713. *quae me opere tanto*
Servare iussit, qui suos Selenium parentes
Facilius posset noscere, quae erae meae suppositast parva.

vel in temporali:

Trin. 615. *quid illic festinet sentio —:*
Ut agro evortat Lesbonicum, quando evortit aedibus.

Absoluta enim est haec sent. tempor. (v. p. 16 e) et iungenda sunt: *(nunc) quando evortit festinat ut —.*

2. In sententiis quas circumscribit is qui loquitur,

a. ubi necessario indicativus adhibetur:

Mil. 1012. *Homo quidamst qui scit quod quaeris ubi sit.* Ps. 597.

b. Ubi etiam coni. obl. adhiberi potuit:

Relativae sententiae:

Curc. 425. *Quod istic scriptumst, id te orare iusserat*
Profecto ut faceres, suam si velles gratiam.

cfr. coni. obl. Bacch. 788. *Orabat quod istic esset scriptum ut fieret.*

Ep. 47. *Ipse mandavit — ut fidicina*
Quam amabat emeretur sibi:

70. *patrem † prius se convenire non volt —,*
Quam id argentum quod debetur pro illa dinumeraverit.

Cist. 185—7. Trin. 288—9.

Temporalis sent.

Mil. 1317. *Orant te ut eas: ventus operam dum dat, ut velum explicent,*

[*eant ventus — ut vallam explicet* CD, *adventus opheram dum dant ut ut vallem explicet* B, *m**xplicent* A, corr. FZ.]

„jetzt so lange". An haec est licentia illa post *dum* praesentis indicativum etiam in obliqua oratione retinendi?

3. Indicativus post eiusmodi III personae verba regentia, quibus non simul III personae dicta aut sententiae subiunguntur. Iam p. (15 et) 60—61 huius disp. comme-

moravi post iussivam vocem *recordetur* indicativum eodem iure quo post *moneo* vel *cogitato* restare in

Men. 972. *Recordetur id, q u i n i h i l i s u n t quid [i]is preti*
Detur ab suis eris.

Non obscurior est indicativi ratio post negativas sent. primarias ut

Curc. 33. *Nemo hinc prohibet nec vetat*
Quin quod palamst venale, si argentumst, emas.

nemo prohibet = nihil prohibet. Cfr Amph. 46 et Trin. 210—1 supra.

II. Verbum impersonale est in primario enuntiato.

A. Coniunctivus obliquus sequi potest et ubi res sentientes vel loquentes inducuntur et ubi locutio impersonalis ad sententiam personalis est.

Ps. 1033. *Cor — expectat —,*
S i n o n e d u c a t mulierem secum simul,
Ut exulatum ex pectore au[t]fugiat meo.

Mil. 5. *Nam ego hanc machaeram mihi consolari volo,*
Ne lamentetur —,
Q u i a se iam pridem f[i]eriat[t]am g e s t i t e m.

Amp. 225. *Convenit, victi u t r i s i n t eo proelio,*
Urbem, agrum, aras, focos seque uti dederent.
convenit = pepigerunt.

Capt. 378. *Nunc ita convenit inter me atque hunc —,*
Ut te — mittam,
S i non r e b i t a s, hu⟨i⟩c ut viginti minas
Dem pro te.

Huc refero etiam

Bacch. 329. *Quia id signumst cum Theotimo, qui eum illi adfer⟨a⟩t,*
Ei aurum ut reddat.

[*adferrẹt* B (*re* expunxit m 2), *adfert* CD, *adferet* Camerar.]

= *ita convenit inter me et Theotimum.* Coniunctivum *adferat,* quem proposuit Ussing, necessario accipiendum esse credo pro *adferet,* quod secundum Camer. editores vulgo amplexi sunt, non, ut ait Ussing, quia „Plautus modum secundariae sententiae ad primariam accommodare solet" (indicativum enim *adferet* reperimus in Curc. 432 post I personae verbum praesens), sed quia obliqua notio accessit ut in Curc. 347, 550.

Cum exemplo, quod est

Bacch. 673. *quoniam occasio ad eam rem fuit*
Mea virtute parte, ut quantum velles tantum sumeres,

consentit hoc:

352. *Ita feci, ut auri quantum vellet sumeret,*
Quantum autem lubeat reddere ut reddat patri.

Nam *occasio erat mea virtute parta ut* = *feceram ut.* Sed in his consecutivis periodis potius quam obliquus coniunctivus assimilationis est, qualem videmus esse praesentis coniunctivum in v. 353. De Capt. 353 et Ps. 533 *numquae causast quin?* = *num recusas quin-?* v. infra.

B. **Indicativus** circumscribentis est in

Truc. arg. 10 *Utque illam ducat qui vitiarat convenit.*

In condicionali sent.:

Amph. 634. *ita quoique comparatumst in aetate hominum:*
Ita di⟨vi⟩s est placitum, voluptatem ut maeror comes consequatur:
Quin incommodi plus malique ilico adsit, boni si optigit quid,
[*doni* EJ *quod* B[1]EJD[3]]

indicativus non offendere debet, cum non tam deorum consilia quam quae fiunt referantur. Nam *ita divis est placitum* idem est atque illud quod praecedit: *ita cuique comparatumst* vel = *ita fit ut.*

III. Primae personae verbum praeteritum est in primario enuntiato.

A. Coniunctivus.

1. Cond. sent.

Aul. 26. *Feci, thensaurum ut hic reperiret Euclio,*
Quo illam facilius nuptum, si v e l l e t, *daret.*

Merc. 231. *Neu discordarent, [ni]si ambae in uno* e s s e n t *loco, — visus sum —.*

Utrum obliquus sit coni. an potentialis (si = si forte) non ausim diiudicare in

941. *Rogito quis eam — habeat, si ibi ind[e]audiverit.*

2. Relativae sent.

Curc. 346. *ei mandavi,* q u i *anulo*
Meo tabellas obsignatas a t t u l i s s e t, *ut daret*
Operam, ut mulierem — abduceret.

Merc. 151. *me rupi causa currendo tua,*
Ut q u a e s c i r e m *scire actutum tibi liceret.*

cfr ind. Ps. 72.

Trin. 313. *Istaec — habui — integumentum,*
Ne penetrarem me usquam, u b i e s s e t *damni conciliabolum.*
[*eē* B, *esset* ceteri]

De Bacch. 352 v. supra.

3. Temporales sent.

Amph. 127. *(sumpsi) — ut ne qui essem familiares quaererent,*
Vorsari crebro hic q u o m v i d e r e n t *me domi.*

Ep. 356. *Ut,* q u o m r e d i s s e s, *ne tibi eius copia esset.*

500. *Conducta veni ut fidibus cantarem seni,*
D u m *rem divinam* f a c e r e t.

Qui coni. etiam ad conducentis consilium referri potest.

(Mil. 950. *(conduxi) Qui — tutarentur, mihi* d u m f i e r e t *otium.)*

Trin. 1142. *meo adlegatu venit (= adlegaveram)*
— : ut filius
Tuos, quando illi a me darem, esse allatum
id aps te crederet.

Most. 88. *Eam rem volutavi et diu disputavi,*
—9. *Hominem quoius rei quando natus ⟨esse⟩t,*
Similem esse arbitrarer.

Iam p. 38 dixi correctione Leonis non minus e syntactica quam e metrica ratione opus esse.

4. Comparativa sent.

Aul. 16. *Coepi observare, ecqui maiorem filius*
Mihi honorem haberet, quam eius habuisset
pater.

B. Indicativus est in his relativis sententiis explicativis:

Mil. 131. *Dedi —, qui ad illum deferat*
Meum erum qui Athenis fuerat etc.
949. *(misi) Ut latrones quos conduxi hinc ad Seleucum ducere⟨t⟩.*

Cas. 932. *— exeo —,*
Ut senex hoc eodem poculo quo ego bibi biberet.

Merc. 230. *Ei ne noceret, quam domi ante habui capram,*
— visus sum etc.

Ps. 72. *Haec quae ego scivi ut scires curavi omnia.*
[*sciv(i)* A, *scibi* P]

Cfr coni. obl. Merc. 152 *(me rupi) Ut quae scirem scire actutum tibi liceret.* Et ex his duobus exemplis comparatis et ex illis quae p. 83 contuli: Curc. 425 et Bacch. 788 apparet, indicativo indulgere collocationem enuntiationum, ubi per sententiam utrumque modum liceat adhibere. Nam et in Ps. 72 et in Curc. 425 a relativa sententia periodus incipit.

IV. **Secundae personae verbum est in primario enuntiato.**

α. Praeteriti temporis verbum est:

A. **Coniunctivus.**

Curc. 549. *Quid fecisti?* || *Quod mandasti [feci], tui honoris gratia,*
Tuom qui signum ad me attulisset nuntium ne spernerem.
[*Quid feci* BE, *-fecisti* FZ]

Pylades delevit *feci*, recte ut mihi videtur, cum necesse sit ex verbo *mandasti* pendere periodum: *ne spernerem qui attulisset.* — Cuius similem iuncturam supra repperimus in Rud. 873—4. — Aliter enim coniunctivus *attulisset* explicationem non habet. Nam post verbum *feci* huiusmodi periodum exspectamus: *ut qui — attulit — non spernerem.* Frustra Luchs: *tui ⟨ut⟩ honoris.*

Aul. 740. *Cur id ausu's facere, ut id quod non tuom esset tangeres?*
[*esses*, corr. B[2]]

Merc. 622. *quin percontatu's, hominis quae facies foret*
Qui illam emisset —?

In Poen. 561 incerta est verbi species: *detulerit.* Cum libris legendum est *adventes*, non *advenies* aut *advent⟨ar⟩es.*

B. **Indicativus** est in explicativa sent., quae a loquente additur vel opponitur II personae verbis.

Capt. 717. *postulavisti — novicium*
—9. *Te perdocere, ut melius consulerem tibi*
Quam illi quicum una ⟨a⟩ puero aetatem exegeram?

Men. 1057. *Praecucurristi obviam, ut* *quae fecisti* *infitias eas.*

β. Praesentis aut futuri temporis verbum est.

1. **Affirmativa est primaria sent.**

A. **Coniunctivus.**

Trin. 699. *Id agis, ut ubi adfinitatem — adstrinxeris*
Atque eum agrum dederis ne⟨c⟩ quicquam hic tibi *sit* *qui vitam colas,*
Effugias ex urbe —.

Ps. 562. *Suspiciost mihi nunc* *vos suspicarier,*
Me idcirco haec tanta facinora promittere,
Quo vos oblectem, hanc fabulam *dum transigam,*
Neque sim facturus quod facturum dixeram.
[564 *quo* A, *quin* P]

Incerta lectio est in

Mil. 846. *Ut tibi si promptes alium subpromum pares.*

[*promtis* B, *proptis* CD. *promptes* Leo = *si promus sis.*] Coniunctivus certe requiritur im alterius consilio referendo.

B. **Indicativus.**

1. In relativis sententiis quas is qui loquitur ipse circumscribit.

Men. 686. *Quae commisi* *ut me defrudes, ad eam rem adfectas viam.*
[*Quia* cod. corr. Both.]

855. *imperas, ut ego huius membra —*
Comminuam illo scipione, *quem ipse habet.*

Ps. 217. *(tenes) Quo se haec tendant quae loquor.*

565. *quod facturum* *dixeram* v. supra.

2. Ubi secundae personae verbo eae periodi subiunguntur, quae re vera loquentis sunt.

Condicionalis sent.

Ps. 109. *Scis tu quidem hercle, mea si commovi sacra,*
Quo pacto et quantas soleam turbelas dare.
[*commovissem* Servius schol. Aen. IV, 301.]

Hoc enim secundae personae verbum affirmativum *scis* ad sententiam primae personae verbum ut *moneo* exaequat vel iussivam formam ut *cogita*, de qua infra. Item in universali sent. relativa

Amph. 104. *Nam ego vos novisse credo iam ut sit meus pater,*
—6. *Quantusque amator si[e]t quod complacitumst semel.*
[*pater meus:* trai. Both.]
vos novisse credo = *vos moneo* vel *cogitate.*

---

2. Interrogativa est sententia primaria.

Coniunctivus obliquus in vera interrogatione suo loco est, indicativus autem in rhetorica vel ubi is qui loquitur non eius, quem interrogat, sententias re vera exquirit, sed suas ipse aut quasi exclamans profert (ut *aequom tibi videtur?* = *non aequom est*) aut hortans (ut *quin dicis* = *dic*), aut ubi simpliciter ex aliquo quaerit, probetne id quod suis verbis ei ipse proponit.

A. Coniunctivi obliqui exempla certissima non exstant. Nam quod eiusmodi coniunctivum esse dices in relativa sententia

Mil. 300. *Quid tibi vis dicam nisi quod viderim?*

nescio an arguat indicativus in prorsus simili ex. post *vis* servatus:

Ep. 19. *Quid tibi vis dicam nisi quod est?*

coniunctivum *viderim* non deberi verbo *vis,* quod utrum adsit necne in his exemplis ad modos nihil interesse videtur. Perbene enim dici potuit omisso illo verbo:

Quid tibi ego dicam nisi quod viderim?

De quo coniunctivo infra.

Obliqua vis sine dubio inest coniunctivo condicionalis sententiae

Ps. 92. *An tu te ea caussa vis sciens suspendere*
Ut me defraudes, drachumam si dederim tibi?
[*drachuma* CD', *drachmam* A]

quamquam in eiusmodi iunctura, in qua etiam modorum assimilationem fieri reperiemus, item ut in

Capt. 353. *Numquae causast quin, si ille huc non redeat, viginti minas*
Mihi des pro illo?
= num recusas quin?

vel in relativa sent. Cas. 252.

B. Indicativus.

In Rud. 379. *Quid faceret?* || *Si amabat, rogas quid faceret?* condicionalem sententiam is qui loquitur ipse addit extra interrogationem relatam.

Non mirum est indicativum restare in

Rud. 1230. *Aequom videtur tibi ut ego alienum quod est*
Meum esse dicam?

Nam *aequom videtur tibi?* nihil aliud est quam *(mihi) non aequom videtur* ut in Aul. 162—4. *quid dubitas? = non dubium est,* in Mil. 1184. *quin dicis? = dic.* Parenthesis loco esse verbum *vis* in Ep. 19 supra commemoravi. Incerta est verbi species in Ps. 533, sed indicativum commendat versus Merc. 654 p. 57 comparatus et Aul. 162—4.

3. Iussiva est sententia primaria.

A. Coniunctivi obliqui a dicendi verbo pendentis certa exempla sunt:

Mil. 1185. *Huc venito et matris verbis Phi. arcessito,*
Ut, si itura sit Athenas, eat tecum ad portum cito:
Atque ut iubeat ferri in navim, siquid imponi velit.
Nisi eat, te soluturum esse navim: ventum operam dare.

[1186 *siet athenas* A, *est athenas* FZ, *est &thenas* B *sia ethenas* C, *esiāaethenas* D; *eat* ceteri, *e* B]

Apparet ex versu 1188 hic obliqua oratione tradi ea verba, quae proferet is cui mandantur, quasi re vera iam illius verba sint. Quare necessario coniunctivum in 1186 requirit non metrum solum sed etiam oratio. Futurum autem periphrasticum reperiemus non in coniunctivum assimilatione abire in Mil. 1299, Amph. 324.

Trin. 1105. *Iubeto Sa[n]garionem quae imperaverim*
Curare ut efferantur.
[*videto* corr. Pius]

A verbo affectus pendet coniunct. in

Truc. 826. *per tua obsecro*
Genua, ut tu istuc insipienter factum sapienter feras
Mihique ignoscas, quod animi impos vini vitio fecerim.

Hic enim coni. non I personae verbo regenti *obsecro* debetur sed obliquus est, qui ad II personae verbum *ignoscas* statim se applicat, ut in

Mil. 1035. *Me inclamato, quia sic te volgo volgem.*

Eadem ratione coniunctivum licet interpretari in

Bacch. 173. *veneroque te,*
Ne Nicobulum me sinas nostrum senem
Prius convenire quam sodalem viderim,

siquidem orat Chrysalus, ut deus hanc sententiam pro sua accipiat, atque ita dei sententia oblique redditur. Sed finalis vis insuper in hoc coni. inest, quoniam recte dicitur: *Nicobulum nolo prius convenire quam sodalem viderim.*

Alia quoque exempla sunt haud pauca, in quibus coniunctivus suo loco est, etiam non ad II personam relatus. Quae ex. melius una cum ceteris coni. non obliquis tractabimus, quoniam non licet diiudicare, utrum obliquus ubique sit necne,

ut post dicendi verbum

Persa 601. *(roga) Ut tibi percontari liceat quae velis:*

vel Trin. 40—42,

post sentiendi verbum

Trin. 485. *facito — cogites,*
Id optumum esse tute uti sis optumus:
Si id nequeas, saltem ut optumis sis proxumus;
[sic A. *neque ad salutem* BCD, *optumus* CD]

nam ad coniunctivum *nequeas* nil interest, utrum antecedat *cogites optumum esse* an *optumum est.*

B. Indicativus.

Licentiam post iussiva II personae verba indicativi retinendi demonstrant haec ex:

Capt. 737. *Atque hunc me velle dicite ita curarier,*
Nequi deterius huic sit quam quoi pessumest.
[*ita me velle dicite,* trai. Fleck.]

Persa 383. *Verum videto, me ubi voles nuptum dare,*
Ne haec fama faciat repudiosas nuptias.
[*violes* C ante ras.]

Post *vide ne* (= *metuo ne*) obliquum coniunctivum non magis exspectamus quam post *cave ne* (ut Aul. 585, Amph. 608.) vel *facito* (ut Poen. 1084) vel *sine, sinite* (ut Mil. 1084, Cas. 206.) Assimilationi debetur coni. in Most. 966—7 post *vide ne.*

Indicativi post negativum verbum affectus servati exemplum sit

Bacch. 1072. *vos nunc ne miremini Quod non triumpho:*

Etiam in ex. quod p. 90 laudavi

Ps. 109. *Scis tu quidem hercle, mea si commovi sacra,*
Quo pacto et quantas soleam turbelas dare,

indicativus ideo suo loco est, quia non tam eius qui appellatur sententia quam loquentis verba referuntur (*scis* = *cogita* vel *moneo*). Non opus est corrigere *commorim*. Item Amph. 106 ibidem.

Explicativa esse potest sent. relativa in Truc. 868—9, Rud. 618—9. In

Rud. 125. *(Dic) Ecquem — videris,*
—8. *Hic dico, in fanum Veneris qui mulierculas*
Duas secum adduxit quique adornaret sibi
Ut rem divinam faciat, aut hodie aut heri,

non magis necessario coniunctivus requiritur post *dic ecquem videris* quam post *Ecquem vidistis?* in v. 315 et 320. Si hanc locutionem indicativus sequi potest, etiam post illam suo loco est. Sed de his sententiis et de forma *adduxit* alias.

§ 2.

Coniunctivus assimilationis quae dicitur modorum vel attractionis.

Prius coniunctivos, qui apud absolutos coniunctivos sunt, deinde eos, qui sunt apud pendentes, tractabimus, ut appareat, quantum coniunctivo regenti, i. e. modorum assimilationi, et quantum subiunctioni tribuendum sit.

Sed de nomine assimilationis pauca sunt praemittenda. Quae non externa formarum assimilatio est, qualis est ex. gr. relativi pronominis correlatique. Id enim qui accipiunt, hunc coniunctivum necesse est plane seiungant ab eo coniunctivo apud infinitivos, quem in priore huius disputationis parte cognovimus, ubi nihil erat, ad quod assimilari posset coniunctivus secundariae sententiae. Sed hunc et illum coniunctivum quamvis obiter comparantes non possumus non perspicere, quantopere natura inter se conveniant. — Quin et hic et illic assimilatio est, sed ea quae in ipsa cogitandi ratione posita est. Assimilatur enim vel accommodatur modus secundariae sententiae ad eam rei cogitatae notionem, quae et in infinitivo et in coniunctivo inest. Coniunctivus igitur in infinita (cogitata) sententia secundaria oriri potest, cuiuscumque generis est coniunctivus regens, in definita autem (i. e. quae certos homines et certas res designat) tantummodo si ad rei sumptae coniunctivum ita

assimilatur, ut in re sumpta (sive cogitata sive irreali) ipsa quoque videatur versari [1]).

I. Coniunctivus regens absolutus est.

§§ 1. Coniunctivus **voluntatis** est in primario enuntiato.

α. Praesentis aut perfecti coni. est in primario en.

A. Coniunctivus.

I. Coniunctivus oritur in secundaria sententia infinita, quae cum regentis coniunctivi tempore congruit, i. e. quae ad futurum tempus spectat.

1. Condicionales sententiae sunt:

a. Praesentis coniunctivus est.

Cond. sent. sequitur.

Amph. 960. *Proinde eri ut sint, ipse item sit: —*
Tristis sit, si eri sint tristes: hilarus sit, si gaudeant.
[*fieri sint* E. *fuerint si* IF]

Trin. 370. *Tu modo ne me prohibeas accipere, siquid det mihi.*
[*quit* A]

Truc. 839. *Eloquere haec erae tu: puerum reddat, siquis eum petat.*

As. 766. *comburas, si velis.*

Rud. 834. *[h]abeas, si velis.*

---

[1]) Coniunctivum regentem appello eum ad quem assimilatio fit, coniunctivum secundariae sententiae eum qui assimilatur; primariam sententiam appello eam in qua est coniunct. regens, si absolutus est, eam autem a qua is pendet, si subiunctus est: regentem sententiam semper eam intelligo in qua est coniunct. regens.

Cond. sent. praecedit.

As. 763. *et siqua inutilis*
Pictura sit, eam vendat.

Aul. 99. *atque etiam hoc praedico tibi:*
Si Bona Fortuna veniat, ne intromiseris.

591. *Sin dormitet, ita dormitet servom se ⟨es⟩se ut cogitet.*
[*ita dormitat* B[1]]

Cas. 573. *Si neget adesse, exanimatum amittat domum.*

Ps. 570. *Si id facere nequeat, det locum illi qui queat.*

Truc. 233. *Aequo animo, ipse si nil habeat, aliis qui habent det locum.*
[*det* A, *dent* ceteri]

In As. 120 coni. universalis II personae est.

b. Perfecti coniunctivus est.

Cond. sent. praecedit.

In uno tantum exemplo certa forma est:

Aul. 747. *Nam si istuc ius est, —*
Luci claro deripiamus —:
Postid si pr⟨eh⟩ensi simus, excusemus ebrios
Nos fecisse —. [*luce clara* corr. ex Nonio]

In altero:

As. 785. *Post si lucerna extincta sit, nequid sui*
Membri commoveat —,

[*post si* B, *post id si* DEJ; *extincta est* BDEJF, *-sit* Z] iam hiatus ostendit corruptum esse indicativum codicum *est*, quem vix ne sententia quidem patitur, quae ad futurum tempus spectat. Ussing coniecit *erit;* quae forma licet temporalis enuntiati exemplo probari possit (ut Bacch. 757) tamen coniunctivi ceteri, qui intra hunc syngraphum 751—807 reperiuntur (764, 66, 76—7, 780, unus indicativus est verbi modalis: *lubebit* 781, de quo infra), arguunt et in hoc versu correctionem Merulae *sit* praeferendam esse et

coniunctivum hic esse intelligendum, ubi ex verbi specie res non possit diiudicari: 764—5 *ni abalienarit,* 770 *aspexit,* 782 *fuerit,* 794 *occepsit,* 803 *iusserit,* 806 *dixerit.* Qui modus optime suo loco est. Agitur enim non de vera sed de cogitata re futura.

Ubi concessiva est condicionalis sententiae vis, coniunctivus nobis occurrit non solum ad futurum tempus respiciens

Truc. 855. *Si alia membra vino madeant, cor sit saltem sobrium,*

sed etiam ad praesens

Amph. 819. *Saltem, tute si pudoris egeas, sumas mutuom,*

vel ad perfectum

Mil. 188. *Siquidem centiens hic visa sit, tamen infitias eat.*

Sed ad modorum attractionem haec exempla nihil probant, cum ipsa notio concessiva sufficiens sit coniunctivi explicatio (ut As. 414, 933, Aul. 421, Bacch. 1004 etc.).

Praesentis indicativum assimilari ne ea quidem locutio probat, quae est in Merc. 373 *Si sapias, eas,* 801 *Iubeas, si sapias,* Persa 797 *Iurgium hinc auferas, si sapias,* Rud. 1228 *Si sapias sapias.* Si enim ex assimilatione hic coniunctivus ortus est, non ad praesentis sed ad futuri indicativum respondet (ut in Bacch. 1001—2 est *sapies* et *sapiet*). — Sed ostendunt exempla talia, quale est Capt. 632 vel

Most. 895. *Si sobrius sis, male non dicas,*

etiam condicionali coniunctivo hortationem exprimi posse. — Atque etiamsi quando vere iussivum esse coniunctivum arguit particula *ne*, ut in

Men. 502. *Si aequom facias, mihi odiosus ne sies,*

non ideo certum est coniunctivum protasis esse assimilatum et non condicionalem. Nam irrealis quaedam vis etiam sic in condicionali sententia: *si aequom facias (= non aequom facis)* est. In hac igitur locutione (*si sapias* etc.) coniunctivus iussivus et coni. condicionalis adeo coaluerunt, ut discerni nequeant; quare non possumus diiudicare, quantum assimilationi tribuendum sit.

Sed ne in ceteris quidem quae attuli exemplis pro certo licet statuere ex modorum assimilatione coniunctivum ubique profectum esse, si cogitamus, in multis periodis condicionalibus coniunctivum futuralem nobis occurrere in protasi post *si* = *si forte,* in apodosi indicativum et quidem

saepissime fùturi ut

As. 699. *Vehes pol hodie me, siquidem hoc argentum ferre speres.*

speras Mueller Add. ad Pros. Plaut. p. 121, Leo autem recte: „*speres* non *speras*, incertum an sperare liceat".

Most. 56. *Ita te forabunt patibulatum per vias*
†Stimulis, si huc reveniat senex.

Cas. 335—7, Merc. 650—1. cfr supra Aul. 100. *si veniat;*

rarius praesentis ut

Merc. 430. *At ego si velim, iam dantur septem et viginti minae.*

Rud. 1021.

rarissime imperativus:

Men. prol. 51. *Siquis quid vostrum Epidamni curari sibi*
Velit, audacter imperato et dicito.

cfr supra As. 766 *comburas, si velis.*

As. 445. *Hem non? si velis da, commoda homini amico.*

Cum hoc exemplo plane consentit id quod supra attuli Rud. 834. *[h]abeas, si velis.*

Quae enim ironia in As. 445 est: *da, commoda — si velis* („Solltest du Lust haben, so leihe einem Freunde Geld") = *noli commodare,* eadem in Rud. 834 aperta est, cum lorarii clavis minitantes significent se re vera non concessuros esse id, quod verbis concedunt.

At etiamsi hac via unum alterumve exemplum excipimus, satis multa restant, quae probent futuri temporis sententias condicionales ad coniunctivum voluntatis, sive praecedunt, sive sequuntur, assimilari, neque ullam coniunctivi explicandi rationem patiantur praeter modorum assimilationem.

2. Universales sententiae relativae.

a. Praesentis coniunctivus est.

Optativa est primaria sententia:

Sequitur relativa sententia.

As. 44. *Di tibi dent quaequomque optes.*

Mil. 1038 item.

Ps. 937. *Tantum tibi boni di immortales duint, quantum tu tibi optes.*

De indicativo v. 938 v. infra.

Trin. 436. *Di duint Tibi Philto, quaequomque optes.* [*dunt* B, *diunt* ZF.] Cfr Cist. 497.

Ep. 6. *Di dent quae velis.*

Persa 483, Poen. 1055, St. 469, Trin. 1152 item.

Qualitatis notioni coniunctivus tribui potest in

Poen. 859. *Dei — ament —*
|| Quem ament —? || Aliquem eo dignus qui siet.

De Trin. 715, ubi praecedit rel. sent. infra disputabo.

Cum his exemplis si haec duo comparamus:

As. 623. *Dabunt di quae velitis vobis.*
Noctem tuam et vini cadum velim, si optata fiant.

Persa 16. *O Sagaristio, dei ament te.* || *O Toxile, dabunt di quae exoptes,*

iure quaeritur, utrum coniunctivus re vera ex assimilatione modorum ortus sit an per se suo loco sit in universali sententia relativa. —

Schmalz nunc ipse reiiecit id, quod in priore editione [1]) de sententiis a *quisquis, quicumque* etc. incipientibus contenderat: *„dass zur Hervorhebung der verallgemeinernden Bedeutung bald auch wieder der Konjunktiv eintrat, also Trin.* 437". In altera enim editione hoc statuit [2]): *„wo wir im Altlat. oder in der klass. Latinität — noch den Konj. finden, ist derselbe durch Attraktion oder eine ähnliche Ursache veranlasst"*. Sed idem a vero longe aberrat, qui universalia, quae dicuntur, pronomina (*quisquis* etc.) a simplicibus relativis pronominibus ita discernit: *"Während nun das Relativ, wenn es eine verallgemeinernde Bedeutung annahm, sich mit dem Konj. zum Ausdrucke dieser Bedeutung verband, brauchte man es bei quisquis etc. nicht, und so werden denn diese Relativsätze in den Ind. gesetzt"*. Contra quae non dubito equidem affirmare, ubicumque pro eiusmodi composito pronomine simplex pron. rel. substituere possimus, eundem modum esse retinendum [3]). — Non ideo igitur coniunctivus in duobus illis ex. As. 623 et Persa 16 suo loco

---

[1]) Schmalz, Lat. Synt. ed I § 239.

[2]) Schmalz, L. S. ed. II § 239.

[3]) In As. 29. *Dic obsecro hercle serio quod te rogem,* equidem illum I personae coniunctivum voluntatis agnosco, qui in absolutis sententiis apud Plautum frequens est, a mera notione futurali paululum distans (cfr Men. 1105 *quod rogabo*): ‹was ich dich fragen will›. Cfr Leo a. h. l.

In St. 362. *Immo res omnis relictas habeo prae quod tu velis,* coniunctivus est *velis,* qui ut in absolutis sententiis suam habet vim potentialem, itemque *nolim* in

Amph. 439. *Ubi ego Sosia nolim esse, tu esto sane Sosia,* etiamsi futuri indicativum exspectes comparato Ep. 595.

est, quod simplex pronomen relativum universali notione praeditum est. Comparanda autem sunt illa ex. cum hoc:

Rud. 1138. *Quid si ista aut superstitiosa aut hariolast atque omnia,*
Quidquid insit, vera dicet?

(ubi cum Muellero editores, excepto Leone, correxerunt *inerit*). Nam et in hoc et in illis universalis sent. relativa se applicat ad futuri temporis verbum primarium. Quod si cogitamus, quam prope inter se accedant coniunctivus et futuri indicativus (cfr Rodenbusch [1]) p. 57 sqq.) in illa maxime salutandi optandi formula, ubi promiscue [2]) adhibentur nullo sententiae discrimine (quin in Persa 16 *O Sagaristio, dei ament te* || *O Toxile, dabunt di quae exoptes* plane inter se succedunt) ita tamen ut coniunctivus praevaleat, non mirum est, etiam in ea sententia secundaria, quae ad huiusmodi futuri indicativum se applicaret, coniunctivum ex attractione oriri potuisse.

Illa quidem exempla, in quibus coniunctivus est verbi *velle*, per se nihil probant, cum coniunctivus esse possit is, qui etiam in absolutis sententiis passim usurpatur, potentialem quem dicunt (Inspice ex. gr. As. 623 ubi verbis *Dabunt di quae velitis* succedunt haec: *Noctem — velim.*). Sed cum id non valeat de verbo *optes*, non est cur in his tam similibus exemplis alterius generis coniunctivum esse putemus *velis (velitis)* quam *optes*.

Contendo igitur in nulla universali sententia, sive simplex sive compositum pronomen est, coniunctivum adhiberi, ut universalem vim tribuat; coniunctivum autem in exemplis quae attuli esse modorum assimilationis [3]).

---

[1]) E. Rodenbusch De temp. usu Plautino Argentorati 1888.

[2]) Eadem ratio valet in iurandi formula: *ita me di amabunt*, et *ita me di ament.*

[3]) Haec verba facio etiam contra Rodenbuschium l. l. p. 63—4.

Iussiva vel concessiva est primaria sententia.

Sequitur relativa sententia.

Bacch. 656. *furetur* q u o d q u e a t.

Most. 284. *Is nequid emat, nisi* q u o d *sibi placere* c e n s e a t. [*tibi* libri, corr. Schoell]

St. 149. *Neque ego te celabo neque tu me celassis* q u o d s c i a s.

Iam negativa notio in hoc exemplo nescio an coniunctivum requirat ut in

Cist. 110. *nequid, quod illi doleat, dixeris.*

Praecedit relativa sententia.

Aul. 491. *Quo lubeant nubant.*

[*iubeant* DJFZB², *lubeat* Camerar. *lubeant* def. Kock. Nov. Annal. vol. 107 p. 841; Leo confert Trin. 211, ubi *lubeant* A, *lubeat* ceteri.]

599. *†Herile imperium ediscat, ut quod frons velit oculi sciant.*
Q u o d i u b e a t, citis quadrigis citius properet persequi.

Fragm. II, 1, 91. (Hortulus) *Praeco ibi adsit: cum corona,* q u i q u e l i c e a t, *veneat.*

[*cuique liceat ventat* cod. Leo confert Men. 549.]

Most. 1100. v. infra. De Mil. 81 v. p. 113.

Mil. 190. *Q u i a r g u a t se, eum contra vincat iure iurando suo.*

(cfr ind. perfecti 187 de certa persona.)

Persa 68. *Sed † lege rumpam* q u i d a m n e t, *det in publicum Dimidium.*

[*Sed si* B, *legirupam* FZ, *damne* CD, *Sed ** Si legirupam qui* Brix, Leo]

Cfr Cas. 570 p. 17.

Ad extremum pauca verba de duobus coniunctivis, quos mutare voluerunt:

Trin. 715. *Sin aliter animatus es, — bene quod agas eveniat tibi.*
[*eveniat* F, Camer., *eveniet* ceteri]

Frustra Ritschelius: *agis.* Nam etiamsi ad certam rem, quae v. 699 narratur (*id agis* etc.), forsitan verba *quod agis* respicere possint, certe multo praestat pro universali sententia habere haec verba amici, quasi in omne tempus ab amico discedentis: *quod agas* „was du auch vornehmen möchtest“.

Most. 1100. *Quod agas, id agas: quid tu porro serere vis negotium?*
[*vis serere* cod. trai. Both.]

Hoc loco iustior causa quam in Trin. 715 erat, cur indicativum *agis* reciperent Ritschelius aliique editores secundum coniecturam Pyladis. Spectatur enim sine dubio certa res v. 1093 commemorata: *Quid si accersam —?* „Id age, noli alias res curare“. Sed eadem sententia efficitur, etiamsi universalem esse iudicantes relativam enuntiationem coniunctivum cum Muellero [1]) defendimus (*= quodcumque agas id agas*). Comparari enim possunt et formula illa *Age siquid agis* [2]) et alia enuntiata, quae quamvis universalia sint, ad certas res simul re vera possunt referri ut

Cist. 497. *Dei me perdant, — || Quodcumque optes, tibi velim contingere.*

Quodcumque optes hoc loco idem fere est atque *id quod tibi optas.* Detestationem enim Alcesimarchi malitiose pro voto habet Melaenis.

Leo his quidem verbis ad Capt. 237 coniunctivum *agas* explicat: „*coniunctivus attractione duplex*“. Sed de externa formarum attractione eum cogitare apparet ex ver-

---

[1]) Mueller 'Nachtr.' p. 141.
[2]) Ep. 196, Mil. 215, St. 715, Trin. 981,

bis eius ad Curc. 484 *vel qui ipsi vorsant vel qui aliis ubi vorsentur praebeant.* Ait enim: *'praebeant' coniunctivus ab antecedente attractus.*

Ego autem eandem esse puto in hoc atque in ceteris quae attuli exemplis assimilationem universalis sent. relativae, quae ad futurum spectat, non praesentis temporis sententiae quae rem certam exprimat.

Quam prava sit sententia Lorenzii, quam ad Mil. 614 elocutus est: „nicht Attraktion des Modus, da der Relativsatz vorangeht". haec exempla luculenter probant, cum ex illis sententiis, quae ad iussivum coniunctivum attrahuntur, sex regenti coniunctivo praecedant, tres sequantur.

---

b. Utrum coni. perfecti an ind. futuri exacti sit, non liquet in

Poen. 449. *Di illum infelicent omnes qui post hunc diem*
Leno ullam Veneri umquam immolarit hostiam,
Quive — sacruficaverit.

Indicativum esse credibile reddit Capt. 910.

Truc. 429. *Quicquid attulerit, boni consulas.*
[*aituierit,* corr. Brix, *bona* libri]

Qualitatis notio insuper est in perfecti coniunctivi exemplo:

Trin. 765. *Homo conducatur aliquis —*
—7. *Is homo exornetur graphice in peregrinum modum,*
Ignota facie[s], quae ⟨hic⟩ non visitata sit.
[*visitata* A. *vis ita* P.]

3. Temporales sententiae.

Coniunctivus est in temporalibus sententiis, si in futurum tempus res sumptae referuntur.

a. Praesentis coniunctivus est, regenti coniunctivo praecedens nisi in As. 776 et Poen. 20.

As. 775. *Neque — premat*
Quom surgat: neque ⟨quom⟩ in lectum inscendat proxumum,
Neque quom descendat inde, det quoiquam manum.
780. *Quom iaciat, 'te' ne dicat.*

[776 *Cum surgat* BD, *Quom surget* F, *consurgat* EJZ; ⟨*quom*⟩ Mueller, 780 *iaceat,* corr. E^{3}Z.]

De Merc. 552—4, ubi modi variantur, infra apud indicativos disputabo.

Bacch. 652. *ubiquomque usus siet, pectore expromat suo.*

Ps. 307. *Det, det usque: quando nil sit, simul amare desinat.*

Poen. 20. *Neu sessum ducat, dum histrio in scaena siet.*

Truc. 232. *Dum habeat, dum amet: ubi nil habeat, alium quaestum coepiat.*

[*tum amet* libri, corr. Lamb., *ubi nihil habet* A, quod neque per metrum licet retinere neque per syntaxin. De indicativo proximi versus *qui habent* v. p. 112—3.]

b. Perfecti coniunctivus est.

Trin. 495. *[An] mirum quin tu illo tecum divitias feras:*
Ubi mortuos sis, ita sis ut nomen cluet [1]).

In Persa 70 anceps verbi species est: *iniexi*⟨*t*⟩.

In rebus sumptis vel iteratis hae temporales sententiae versantur ad condicionales sententias appropinquantes, et quidem in quattuor exemplis ex sex incertos homines hortatio spectat, cuiusmodi indicativus nullus exstat. (In Truc. 232 lectionem cod. A *habet* metrum non patitur).

---

[1]) Prave Rodenbusch l. l. p. 59 veram futuri notionem inesse putat huic coniunctivo, qui iussivus est («sei es ganz das, was das Wort besagt» Binder).

Ad pendentem coniunctivum temporales sententias reperiemus etiam tum assimilari, si in incertum tempus futurum res certa (condicionali notione exuta) reiicitur. Quod num etiam apud absolutum coniunctivum fiat, non certo diiudicari potest, nisi huc referre licet Trin. 496. Nam in

Cas. 527. *Quom veniam, vocent*,

ex verbi specie non elucet, utrum futuri ind. an praesentis coni. sit. Indicativum futuri infra in quattuor sententiis temporalibus reperiemus, sed in nulla quae incipiat a verbo *quom*. Atque in exemplo tali, quale est

Aul. 273. *curata fac sint, quom a foro redeam domum.*

certe coniunctivum nolis mutare, etiamsi verbum *fac* omittas. Quin in

Persa 151. *Sed longe ab Athenis esse se gnatam autumet:*
Et ut adfleat, quom ea memoret,

et Amph. 981. *haec curata si[e]nt Fac sis —*
Atque ut ministres mihi, mihi quom sacruficem,

fortasse absoluti coniunctivi *ut adfleat* et *ut ministres* agnoscendi sunt.

Coniunctivos, qui post *dum* = „bis“ vel *priusquam* usu veniunt, vix opus est commemorare, cum finales esse possint.

Mil. 1249. *op⟨p⟩eriamur dum exeat aliquis.*

Ps. 1234. *ne expectetis, dum — redeam —.*

Truc. 482. *dum praedicem.* Incerta forma est in Ps. 1168.

Merc. 1015. *Immo dicamus senibus legem censeo*
Prius quam [h]abeamus —.

4. Comparativae sententiae.

Coniunctivus est in universali comparatione *(ut = utcumque):*

Amph. 960. *Proinde eri ut sint, ipse item sit.*
[*item ipse* B.]

Bacch. 662. *Utcumque res sit, ita animum habeat.*

[*ut que cum* B[1] (*que* sup. v. add. B[2]), *ut cumque* CD. Fortasse verum est *ut quaeque res sit,* errarunt autem qui cum Reizio *est* substituerunt pro *sit*, quod recte defendit Mueller Nachtr. p. 141.]

II. Coniunctivus ubi nobis occurrit ad id quod est aut fuit respiciens, non ex modorum assimilatione ortus est, ut post *quom causale:*

Persa 290. *tandem ut liceat,*
Quom servos sis, servom tibi male dicere.
[*uti liceat* A, *udiceat* B.]

De Amph. 819, Mil. 188 et Most. 1100 iam disputavi pp. 98 et 104.

B. **Indicativus**

I. semper retinetur et in definitis sententiis (i. e. in certa re sive praesenti sive praeterita sive instanti), et in eis sententiis infinitis, quae cum regentis coniunctivi tempore non congruunt i. e. quae ad praesens aut praeteritum tempus referuntur.

II. raro in infinitis, quae ad futurum tempus sicut coniunctivus regens respiciunt.

---

1. Relativae sententiae,

I. quae ad id quod est aut fuit respiciunt.

Nil attinet omnia enuntiata enumerare, quae aut substantiva aut pronomina ad certas res aut certos homines spectantia definiunt vel explicant ut

As. 644. *Proinde istud facias ipse, quod faciamus nobis suades.*
Capt. 609. *Istic qui volt vinciatur.*
Rud. 158. *Utinam is sit quem ego quaero.*

Ea autem afferam exempla quae aut certas res omisso correlato indicant aut aliquid infinitae notionis secum habent.

a. Perfecti indicativus.

Praecedit rel. sent.

Men. 1104. *utinam efficere quod pollicitu's possi⟨e⟩s.*

Rud. 430. *Nunc, quam ob rem huc sum missa, amabo vel tu mi aias vel neges.*

992 v. infra.

Sequitur rel. sent.

Men. 451. *Qui illum dei omnes perduint, quei primus commentust —.*

[*Quo* B¹, *que* CD, *perdunt* B¹D; *commentu est* BCD¹] = *illum, quicumque -- commentust.*

Fr. Boeotia 1. *Ut illum di perdant primus qui horas repperit.*

b. Praesentis indicativus.

Praecedit relativa sententia.

Men. 308. *Di illos homines qui illic habitant perduint.* [*perdunt* B¹CD¹, *-diunt* D³FZ.]

Ad incertos quidem homines (*illos quicumque sunt* ut supra in Men. 451.), sed ad praesens tempus haec sententia spectat, quare indicativus necessarius est ut

As. 841. *Utinam male qui mihi volunt sic rideant.*

Most. 306. *Haec qui gaudent, gaudeant perpetuo suo semper bono.*
Qui invident, neumquam eorum quisquam invideat prosus commodi⟨s⟩.
[v. 306—7 secl. G.-S. cum Langeno]

cfr Persa 776. *Bene ei qui invidet mihi et ei qui hoc gaudet.*

Aul. Fr. V *Qui mi olera cruda ponunt, hallec duint.*

cfr Persa 132. Cum non liqueat, in quo sententiarum nexu hic versus fuerit, non possumus statuere, utrum ad praesens an ad futurum tempus haec sententia respiciat. Sed nil prohibet saltem, quominus *ponunt* credamus esse dictum pro *solent ponere.*

Merc. [illegible] [illegible] meremus ambo.
Ps. [illegible] [illegible] — [illegible] — [illegible] tu tibi optes:
[illegible] tantum dent,
[illegible] [[illegible] A. est P]

Hoc exemplum optime demonstrat, quid inter coniunctivum et indicativum intersit: quantum — optes: „so viel du dir nur wünschen magst". quantum dignu's: „so viel du werth bist".

Bacch. 990. [illegible]
1049. [illegible] perdere.
Cist. 768. [illegible]
Men. 353. [illegible]
Trin. 351. Quod [illegible] et illuc quod non habes habeas, malum.
[non A, nunc non P: habeas velim malum A.]
Rud. 1121. aliud quidquid ibist habeat sibi.

Infinitum vel universale est hoc pronomen relativum sed rem praesentem comprehendens.

In aliis exemplis sententiarum nexu efficitur, ut relativa sententia, licet infinita sit, ad certam rem, de qua ubique agitur, praecipue trahatur et in praesenti tempore detineatur.

Ep. 651. *Quod bonist, id tacitus taceas tute tecum et gaudeas.*
[*quid boni est* B]

„ein gutes Ding" tantum non = „dieses gute Ding" (nämlich dass sie dich für ihren Bruder hält).

Rud. 992. *Vel quod in mari non natumst neque habet squamas ne feras.*

„Eine Sache die (wie diese) — — —"

St. 320. *Tua quod nil refert, ne cures.*

Si dicas ideo tantum indicativum in his exemplis adhiberi, quod relativa sententia regenti coniunctivo antecedat,

et ad coniunctivos p. 103—5 citatos et ad indicativos quos iam tractabo te refero.

Sequitur relativa sententia.

Mil. 1054. *Age, mi Achilles, fiat quod te oro.*

Curc. 180. *Sibi quisque habeant quod suomst.*

Rud. 1228. *De illo vidulo,*
Si sapias, sapias: habeas[1]) *quod di dant boni.*
[*dant* B, *danunt dant* CD]

Dubitari potest, utrum ad certam rem respiciat versus

Most. 594. *agas quod in manust.*
Non dat, non debet.
[*manu(m est)* A.]

ut voluit Ussing: „quod nunc fieri potest: ut sortem accipias", an comparandus sit v. 601: „*Molestus ne sis: nemo dat: age quid lubet*". Sed etiam si infinita est illa sententia, praesentis temporis certe est: *quodcumque in manust.* Sic simplicior certe periodus fit, quam si cum Ussingio primum audiamus: *agas quod in manust* ⟨: *ut sortem accipias*⟩, deinde *non dat, non debet* ⟨*sc. faenus*⟩. Etiam credibile est, cum in hac scaena diversas recensiones multa sint quae arguant (ut comparati vv. 588 et 576 sq., 592 et 599 sq., 593 et 607. v. Schoell a. h. l.), hos quoque versus 594 sq. et 601 eiusdem significationis esse, fortasse alterum ad alterius similitudinem compositos.

II. Relativae sent. infinitae, quae ad futurum tempus spectant.

a. Praesentis indicativus saepe usurpatur verborum modalium sequente relativa sententia, semel verbi non modalis praecedente rel. sent.

---

1) Possis etiam cum Morrisio Am. Journ. of Phil. XVIII p. 147 ita iudicare: «*habeas* is only a continuation and expansion of the apodosis».

Trin. 765. *Homo conducatur aliquis iam quantum potest.*

Haec sententia item ut Most. 594 ad tempus praesens referri potest. In ceteris exemplis verbum est *velle* aut *lubere.*

Trin. 979. *Dum ille ne sis quem ego esse nolo, sis mea causa qui lubet.*

As. 179. *eum quovis pacto condias — vorses quo pacto lubet.*

Aul. 776. *tum me faciat quod volt magnus Iuppiter.*
[*tum me* ex *tu me* B², *vult* BD, *vol* J]

Merc. 991. *Supplici[i] sibi sumat quod volt ipse ob hanc iniuriam.*
[*quid* libri]

Persa 373. *Dicat quod quisque volt.*

Haec exempla si animo perspexeris non habebis sane, cur de versu

Most. 222. *Di⟨vi⟩ me faciant quod volunt, ni ob istam orationem Te liberasso.*

dicas cum Ussingio: „*et versus claudicat et oratio*". Neque versus enim claudicat, si secundum FZ *dii* [BCD *di*] cum Bothio scribimus *divi,* et magis e sermone Plautino sunt verba codicum *quod volunt* quam sive cum Ritschelio coniicias: *Di pol me faciant quod volint* sive cum Buggio *Qui di me faciant quod velint* (Cfr Seuff. Stud. Pl. p. 6 adn.).

Unum tantummodo est exemplum, in quo sit praesentis indicativus verbi non modalis, qui indicativus ideo offendit, quod inter coniunctivos est in re sumpta futurali:

Truc. 231. *Necumquam erit probus quisquam amator, nisi qui rei inimicust suae:*
Dum habeat, dum amet: ubi nil habeat, alium quaestum coepiat.
Aequo animo, ipse si nil habeat, aliis qui habent det locum.

Facile est in coniunctivum *habeant* corrigere, praesertim cum in multis terminationibus intra hos versus codices vacillent ut 232 *nil habet* A, 233 *dent* BCD. Sed nescio an indicativus ea re defendatur, quod verbum *aliis* relativa sententia definit itaque rem praesentem explicat: sicut fit in

Persa 372. *operam do, ne alii dicant quibus licet.*

Capt. 906. *Nam si alia memorem quae ad ventris victum conducunt morast.*

b. Futuri indicativus est.

Ut praesentis ita futuri indicativi verborum *velle, lubere* aliquot sunt:

Praecedit rel. sent.

Ep. 595. *Ubi voles pater esse, ibi esto: ubi noles, ne fueris pater.*

[*pater esto* A, *ibi esto* ceteri]

Rud. 485. *†Qui homo sese miserum et mendicum volet Neptuno credat sese.*

Mil. 81. *Qui autem auscultare nolet, exsurgat foras.*

[*auscultabunt* BC (*bunt* er. D), corr. B², *nollet* B¹CD, *nolit* B² fortasse recte, *nolet* F]

Sequitur rel. sent.

As. 781. *Deam invocet sibi quam lubebit propitiam.*

qui unus est indicativus inter continuos coniunctivos vv. 756—86.

Sed etiam verborum non modalium futuri indicativus interdum adhibetur, ut rem et certiorem reddat et in futurum tempus apertius deleget.

Persa 524. *Ac suo periculo is emat qui eam mercabitur.*

[*periclo* P, *qui* A, *qui eam* P]

Hic enim indicativus futuri aut confidentiam scribentis exprimit, fore ut femina veneat, aut tantummodo futuri temporis notionem intendit, ut in

Capt. 909. *Diespiter te deique, Ergasile, perdant et ventrem tuom*
Parasitosque omnis et qui posthac cenam parasitis dabit.

Supra dixi ex hoc exemplo effici, ut etiam in Poen. 449—51 indicativus intelligendus esset *(immolarit)*.

Mil. 572. *Posthac*[1]) *etiam illud quod scies nesciveris,*
Nec videris quod videris.
[*Posthac* A *post haec* P *nec* A *ne* P]
(= etiam id quod certo scies. Cfr. St. 149. *neque tu me celassis quod scias = si quid forte scies.)*

Quamquam in hoc exemplo aegre diiudicari potest, utrum perfecti coniunctivus an futurum exactum sit *nesciveris*, cum praecedat *comprimes* hortationis fere vi praeditum.

---

2. Condicionales sententiae.

Indicativus in condicionalibus sententiis semper retinetur, si praesentis aut praeteriti temporis sunt, raro autem. et quidem rei veritatem intendens, si ad futurum tempus spectant *(si = wenn wirklich)*.

Primum detestationis formulas excipiamus, quae semper, cuiuscumque temporis sunt, indicativum praebent. Cuius indicativi ratio aperta est. Vere enim ait Reisig—Haase p. 539: *„Die Verwünschung oder Beteuerung soll nur gelten unter der Bedingung der Wirklichkeit einer Sache“.*

Quin non magis mirum est indicativum usu venire ex gr. in

Aul. 645. *Di me perdant, si ego tui quicquam abstuli.*
Trin. 992. *Di te perdant si te flocci facio,* vel Rud. 569.
Most. 192. *Di — me — interficiant, nisi — interfecero,* vel Amph. 672—3,

---

[1]) Verbum *posthac* recte Goetz insequentibus adiunxit, prave Leo priori versui, qui perfectus est non minus quam v. 293.

quam in his paratacticis iunctionibus:

Most. 170. *Ita me di ament, lepida⟨st⟩ Scapha,* vel
Curc. 574. — *ita* — *iuvent,* — *iam* — *faciam.*

Nil attinet in tam aperta re omnia ex. enumerare.

Cetera exempla sunt:

I. Praeteriti aut praesentis temporis sententiae:

Praecedit cond. sent.

Bacch. Fr. XVI. *Sin lenocinium forte collubitumst tibi,*
Videas mercedis quid tibist aequom dari.

Rud. 727. *Si autem Veneri conplacuerunt, habeat,*
si argentum dabit.
[*Si* A, *Hae* P]

Aul. 747. *Nam si istuc ius est,* —
Luci claro deripiamus —:

In v. 749 (p. 97) sequitur coni. ad futur. tempus spectans [1]).

Merc. 578. *hoc si censes, coquom Aliquem arripiamus* —.

Capt. 63. *Proin siquis pugnam exspectat litis contrahat.*

Rud. 1358. *et, si tuos est habeas tibi:*

Truc. 966. *Rom⟨ae h⟩ab⟨e⟩o. Si quis animatust facere,*
faciat ut sciam.

[*Romabo* — *siquid a. facere* (*facire* B) *faciam*, corr. Schoell]

Ps. 272, Trin. 715.

Poen. 23. *Servi ne obsideant, liberis ut sit locus,*
Vel aes pro capite dent, si id facere non queunt,
Domum abeant.

---

[1]) Graviter errat Mueller Plaut. Pros. p. 68: «Ich halte den conjunctiv *sit* für nothwendig, den Wagner auch — verlangt». Indicativum recte defendit Langen Beiträge p. 51. Cfr Merc. 985. *Si istuc iuus est* — *Ubi locist res summa nostra publica.*

Re vera praesentis temporis est etiam
Mil. 1299. *Si iturast, eat.*
[*itura sed eat* B]
„wenn Sie entschlossen ist zu gehen". Obliquus est coniunctivus in Mil. 1186. *ut si itura sit — eat.* (v. p. 92.)

Sequitur cond. sent.: a parenthesi vix distans in
Amph. 389. *Immo indutiae parumper fiant, si quid vis loqui.*
As. 539. *Meum caput contemples, si quidem ex re consultas tua.*
Cfr locutionem p. 98 commemoratam: *si sapias* etc. et Bacch. 1027.
Mil. 1084. *sinite abeam, si possum viva a vobis,*
ad causalem[1]) enuntiationem prope accedens in
Most. 772. *At tamen inspicere volt.* || *Inspiciat, si lubet.*
(*si lubet* tantum non = *quoniam lubet*)
Bacch. 90. *Tu nullus adfueris, si non lubet.*
As. 460. *Ne duit, si non volt.*
Ep. 584. *Haec negat se tuam esse matrem.* || *Ne fuat, Si non volt.*
Mil. 1037. *Adeat, siquid volt.* || *Siquid vis, adi, mulier.*

II. Futuri temporis sententiae.

Futuri indicativus ubi retinetur et rei veritatem et tempus futurum apertius designat.

Quod exemplum supra dixi ad praesens tempus re vera pertinere: Mil. 1299. *si iturast, eat,* id huc quoque suo iure referri potest: „wenn sie wirklich gehen wird", *(si ibit, eat).*
Rud. 727. *Si autem Veneri complacuerunt, habeat, si argentum dabit.*
„wenn sie wirklich etwas dafür bezahlen wird".

[1]) Inspice Lindskog De en. condic. p. 83 sqq.

Bacch. 1001. *Non dabis, si sapies: verum si das maxume,*
Ne ille alium gerulum quaerat, si sapiet, sibi:

si sapiet: „wenn er wirklich klug sein will". Frustra Brachmann concinnitatis causa aut *quaerat si sapiat* aut *quaeret si sapiet* requirit.

---

3. Temporales sententiae.

Ad futurum tempus quodammodo etiam indicativi ex. omnia respiciunt. Sed aut praesentis temporis notio praevalet aut certa res futura indicatur aut verbum modale est.

I. Praesentis aut perfecti indic. est, praevalente praesentis aut praeteriti temporis notione.

Mil. 1333. *ne interveneris, Quaeso, dum res⟨i⟩pi⟨s⟩cit.*

Item in hac periodo universali:

Truc. 163. *Dum vivit, hominem noveris: ubi mortuost, quiescat.* [*quiescas* libri, corr. Both.]

Hoc ex. si comparamus cum Trin. 496. *Ubi mortuos sis, ita sis ut nomen cluet,* id interest, quod ad futurum tempus coniunctivus plane rem refert: *ubi mortuos sis* = *ubi mortuos eris,* praesentis autem et perfecti vis in indicativo servato haeret = *qui vivit* et *qui mortuos est.*

Mira est modorum variatio in

Merc. 550. *Adulescens quom seis, tum quomst sanguis integer,*
Rei tuae quaerundae convenit operam dare.
Demum igitur, quom seis iam senex, tum in otium
Te conloces, dum potes ames: id iam lucrumst,
Quod vivis.

[552 *seis iam* A, *si sim* CD, *sis* B; 553 *potest ave sidiam* (*p. versidiam* B) *lucro st* P.]

Ab universali argumentatione senex orditur nullum certum iuvenem spectans. Atque arguit indicativus servatus in *tum quomst,* secundae personae coniunctivum ad universale subiectum spectantem, non coni. assimilationis esse in *quom seis* (= wenn man jung (alt) ist). Sed simul demonstrant indicativi *potes* et *vivis,* senem, quom ad senectutem commemorandam transiisset, ad se ipsum furtim delapsum esse seque ipsum compellasse: „O lieb', so lang du lieben kannst". Cfr Most. 20.

II. Futuri indicativus servatur in certa re futura ad certos homines spectans.

Futurum simplex regentem coni. sequens:

Most. 403. *Neu quisquam responset, quando — pultabit senex.*

[*putabit* libri, corr. B², *respondet* F]

Tranio enim scit senem et venturum esse et pultaturum. Ambigua est verbi species in Cas. 527 v. supra p. 107.

Futurum exactum aut regentem coni. sequens aut ei antecedens:

Bacch. 757. *ubi erit accubitum semel,*
Ne quoquam exsurgatis, donec a me erit signum datum.

Chrysalus et confidit eos sibi obtemperaturos esse et scit se signum daturum esse.

Ep. 304. *ne abitas, prius quam ego ad te venero.*

Maxime insignis est veritatis notio in hac sent., quae regenti coniunctivo antecedit:

Capt. 691. *Quando ego te exemplis pessumis [ex]cruciavero,*
Atque ob sutelas tuas te morti misero,
Vel te interiisse vel periisse praedicent.

Praesentis indicativus verbi *velle* ad futurum tempus spectans licenter restat in

Bacch. 224. *Veniat quando volt.*

4. Comparativae sententiae.

I. Indicativus perfecti aut praesentis de certa re praeterita aut praesenti.

Trin. 63, Truc. 844. *habeas ut nactu's.*
As. 731. *nunc rem ut est eloquamur.*
Merc. 989. *iam, ut volt, per me [sibi] habeat licet.*

II. Indicativus praesentis, quamvis ad futurum tempus spectans, licenter bis restat in universalibus sententiis, quae regenti coniunctivo antecedunt. Verbum quidem modale (cfr As. 179—80) est in

Amph. 558. *Proinde ut commodumst et lubet, quicque facias,* [libri *commodum siet lubet*, corr. Cam.]

sed non in

Men. 981. *Alii[s esse] ita ut in rem esse ducunt sint.* [*alii* B ex ras., *sin* CD². Leo: „fort. *alii si — sunt*"]

5. Causales sententiae suos modos semper retinent, ut Bacch. 1072, Amph. 116, Poen. 1373.

Si iam eas sententias recensemus, in quibus coniunctivum exspectamus, — infinitas dico sententias quae ad futurum tempus pertinent, verborum modalium indicativum futuri quater, praesentis novies repperimus; ceterorum verborum indicativum futuri octies vel novies invenimus, (futuri temporis notionem et rei veritatem apertius indicantem: post *si* = *wenn wirklich* bis, in temp. sent quater, in rel. sent bis vel ter), praesentis autem indicativum praeter Truc. 233. *aliis qui habent* in hoc uno comparativae sententiae exemplo: Men. 981, *alii ut in rem ducunt sint,* si ab illis sententiis discesseris, in quibus praevalet praesentis temporis notio (ut in relativis p. 110 allatis et temporalibus post *dum*).

Severius igitur modus accommodatur in infinita sententia quae ad coniunctivum se applicat, quam in ea quae apud infinitivum est (p. 34 et 49). Sed ab obliqui coniunctivi usu necessario etiam sic coniunctivus assimilatus longe abest.

β. Imperfecti coniunctivus est in primario enuntiato.

A. Coniunctivus ad iussivum praeteriti iisdem locis attrahitur, quibus attrahatur, si pro imperfecto praesens substituamus: si irrealis notio accessit, etiam extra eos fines.

Iussivi praeteriti exemplum est

Bacch. 426. *Ante solem exorientem nisi in palaestram veneras,*
Gymnasii praefecto haud mediocris poenas penderes.

431. *Inde de hippodromo et palaestra ubi revenisses domum,*
— apud magistrum adsideres:
Cum librum legeres, si unam peccavisses syllabam,
Fieret corium tam maculosum quamst nutricis pallium.

[*peccavisset* B¹CD, corr. B²; *fleret* CD]

In v. 431 sane non est, cur de absoluto coniunctivo potentialis praeteriti cogites. Potius iterativum coni. hunc esse suspicari liceat, si credibile sit, iam Plauti temporibus eum exstitisse. — Equidem non dubito modorum assimilationi eum tribuere, quamquam in v. 426 indicativus restat. Ut enim apud praesentis coniunctivum iam futuri exacti ind. retinetur, iam perfecti coni. ex assimilatione oritur, ita hic apud imperfecti coniunctivum plusquamperfecti ind. et coni. iuxta usurpantur. Quae variatio eo minus miranda est, quod raro condicionalis sententia, quae a *nisi* incipit, affici videtur.

Irrealis notio accessit.

Iussivus irrealis est, ad quem assimilatur infinita sententia relativa in

Mil. 731. *Qui lepide ingeniatus esset, vitam ei longinquam darent,*
Qui improbi essent et scelesti, is adimerent animam cito.

[*essent et* A, *est* CD, *///st&* B¹, & B²; *adhimerant* P, *-ent* B²]

Licet in praesenti tempore optime dicatur: *pereant qui improbi sunt*, in nostro ex. vix pro coniunctivo *essent* indicativum *erant* substitui sermo latinus patitur.

Optativus irrealis est

Rud. 494. *Utinam te prius quam oculis vidissem meis*
Malo cruciatu in Sicilia[m] perbiteres.

Irrealis notio etiam in temporali sent. aperta est: = *utinam te ne vidissem!* Respondet autem ad illam periodum haec praesentis t.: *Utinam te priusquam videam perbitas*, ubi iam verbo *priusquam* coniunct. ascribi potest.

Ind. nobis occurrit in exemplo, quod simile esse videtur:

Capt. 537. *Utinam te di prius perderent quam peri⟨i⟩sti e patria tua.*

Is autem modus rem vere factam simpliciter describit in certum tempus praeteritum rem delegans ut in

Rud. 497. *Utinam quom in aedis me ad te adduxisti..*
In carcere illo potius cubuissem die.

B. Indicativus.

1. In relativis sententiis, quae res certas exprimunt:

Poen. 391. *Omnia illa quae dicebas tua esse ea memorares mea.*

Merc. 823. *Utinam lex esset eadem, quae uxorist, viro.*

2. Ubi certa res praesens comparatur:

Truc. 375. *Utinam — item parsisses — Ut nunc repercis —.*

[*parsissi* — *reparcis* P, *pepercisses* — *repercis* A]

3. In temporalibus sent. certum tempus praeteritum designans: Capt. 537 et Rud. 497 v. supra.

4. In sent. condicionalibus:

a) post *si* = '*wenn wirklich*'.

Ps. 286. *Si amabas, invenires mutuom.*
[*iam abas* B, *-abes* D, *-habes* C]

Truc. 748. *Si volebas participari, auferres dimidium domum.*

cfr Rud. 379. De Men. 195 et Poen. 525—6 v. p. 31.

b) ubi parenthesis loco est cond. sent., praesertim si sui temporis utraque sententia est.

Merc. 636. *Ubi habitaret invenires saltem, si nomen nequis.*
[*nequis* BCD[1], *nequires* D[2]FZ.]

„wenn du den Namen nicht erfahren kannst".

Nulla est causa, cur mutemus parenthesin additam in Rud. 744. *Trima quae periit mihi, iam tanta esset, si vivit, scio,*
sive irrealis hypotheticus est hic coni: *iam tanta esset* ⟨*nisi periisset*⟩, sive irrealis iussivi praesentis: *iam tanta esse debuit,* qualis est coni. regens in

Cist. 683. *Nam si nemo hac praeteriit,*
Cistella hic iaceret.

„Hier müsste das Kistchen liegen — soweit niemand hier vorbeigekommen ist". *Hic* est *circiter haec loca* (v. 677), ubi Halisca cistellam quidem non invenit, ita tamen ut nondum omnem spem amiserit. Quam si totam eiecisset, dixisset: „*si nemo hac praeteriisset cistella hic iaceret*" ut vertit Lorenz ad Ps. 286 „würde noch hier liegen". — Tum demum Halisca, postquam etiam diligentius locum pervestigavit, desperans exclamat: *quid hic? perii[t], opinor. Actumst, ilicet.*

c) Bacch. 426—33, ubi indicativus post *nisi* et coniunctivus post *si* inter se succedunt, supra tractavi.

§§ 2. Coniunctivus **rei sumptae** est in regenti sententia:

1. sive condicionalis est,
2. sive dubitativus vel cum indignatione interrogantis,
3. sive nudus potentialis aut irrealis aientis aut negantis.

1. Coniunctivus regentis sententiae condicionalis[1]) est.

α) Praesentis aut perfecti coni. est in regenti sententia.

A. Coniunctivus.

αI. Ordiar ab iis periodis, in quibus non assimilatio facta est, sed ubi coniunctivus secundariae sententiae in eadem re aut cogitata aut irreali versatur, in qua condicionalis sententia.

1. Relativae sententiae.

a. Relativa sent. protasis loco est *(qui = si quis).*

Truc. 221. *stultus sit qui id miretur.*
[*vitus sit quid ita* P]

As. 601, Bacch. 1055, Mil. 736—7.

b. Relativa sententia apodosin explet.

Trin. 221. *Pauci sint faxim, qui sciant quod nesciunt.*

Cist. 96. *si ames, extempulo*
Melius illi multo quem ames consulas quam rei tuae. [*qui ames* A]

Trin. 476. Men. 111 v. infra.

---

[1]) Ne dirimam ea quae cohaerent, hic una tractabo et eas sent., quae ad apodoses et eas quae ad protases se applicant, et quidem apud protases coniunctivi assimilati exempla longe plurima reperiemus.

Poen. 928. *Remor⟨a⟩ si sit, qui malam rem mihi det, merito fecerit.*
[*remoror* A, *remor* P, corr. Cam. *quia* A]
qui = *si quis*. Relativa sent. quasi altera protasis est.

Ep. 257. *Si aequom siet*
Me plus sapere quam vos, dederim vobis consilium catum,
Quod laudetis, ut ego opino[r] —.
Quod l. = *et id laudetis.* Relativa sent. quasi altera apodosis est.
Aul. 493, Men. 603.

c. Relativa sent. protasin explet.

Trin. 472. *Siquid tibi placeat quod illi congestum siet,*
Edisne —? [*tibi* A. *illi* P]
Mil. 685. *si sit usquam gentium,*
Ubi ea possit inveniri.
[*possit* A, *possim* B, *possi* CD[1]]

2. Temporalis sententia protasis vel alterius protasis loco est [1]).

Men. 454. *Qui nisi adsint quom citentur, census capiat ilico.*
[*cinetetur* B[1] *citenetur* CD[1], *(capi)at* A *capiant* P]
Merc. 405. *Quia illa forma matrem familias*
Flagitium sit sei sequatur; quando incedat per vias,
Contemplent, conspiciant omnes. —
[sic cum Leone interpungo.]
Poen. 147. *Si — defugeris,*
Ubi dissolutus tu sies ego pendeam.

---

[1]) Non a re est hoc exemplum conferre:
Ps. 265. *nam si sacruficem summo Iovi —, interea loci*
—7. *Si lucri quid detur, potius rem divinam deseram.*
= *si lucri quid detur, quom sacrificem.*

Rud. 979. *Quippe quom extemplo in macellum pisces prolati sient*
Nemo emat. [*prolati si essent* Prisc.]
In Aul. 336—7 et Trin. 886 post *priusquam*.

αII. Ex modorum attractione — saepius apud protasin, raro apud apodosin (Amph. 905—6 praes., Mil. 735 imperf.) — coniunctivus provenit non solum in omnibus sententiis vere infinitis[1]) sed etiam interdum in definitis.

Nam etiam id quod re vera est aut factum est ita ad cogitatam sive irrealem notionem coniunctivi regentis attrahi potest, ut in re cogitata sive irreali versari ipsum videatur. Cuius attractionis originem et naturam facile est perspicere, si haec exempla examinamus:

Praesentis coniunctivus.

Quam breve sit confinium inter eos coniunctivos, quos adhuc tractavimus, et coni. assimilatum, elucet ex hoc exemplo:

Men. 110. *Ni mala — sis —,*
Quod viro esse odio videas, tutę tibi odio habeas.
ubi nil refert, utrum *quod — videas* interpretemur: *si quod videas* „wovon du sehen würdest, dass —" an „was, wie du siehst, —"

Universalis sent. rel. assimilatur in

Bacch. 777. *per omnis deos adiuro, ut, ni meum*
Gnatum tam amem atque ei facta cupiam quae is velit,
Ut tua iam virgis latera lacerentur probe.
[= *ei facta cupio quaecumque is vult*]

De Rud. 1138—9. *Quid si — Quidquid insit vera dicet?* v. p. 102.

---

[1]) Apud voluntatis coniunctivum in iis tantum, quae eiusdem temporis sunt.

Dubitaveris, utrum infinitam appelles an definitam enuntiationem relativam, quae est in

Amph. 904. *Nam certo si sis sanus aut sapias satis,*
Quam tu impudicam esse arbitrere et praedices,
Cum ea tu sermonem nec ioco nec serio
Tibi habeas, nisi [si] sis stultior stultissumo.

velut cum dicimus: „mit einer, die du für schamlos hältst". Nam haec sententia, etiamsi infinita specie induta est (dicitur enim *cum ea quam*, non *mecum quam*), ad certam personam in hoc nexu sententiarum haud dubie refertur et in vera, non in sumpta re versatur (*„die du — hältst"*, non *„die du — hieltest"*).

Nihil infinitae notionis in hac sententia est, quae ab *ubi* incipit:

Aul. 369. *Sed verba hic facio, quasi negoti nil si⟨e⟩t,*
Rapacidarum ubi tantum si[e]t in aedibus.

De Merc. 840 v. infra.

Perfecti coniunctivus.

Ordiar ab hac condicionali sententia

Merc. 826. *si itidem plectantur viri,*
Si quis clam uxorem duxerit scortum suam,
–9. *Plures viri sint vidui quam nunc mulieres.*

Non potentialem esse per se coniunctivum in 827 *si quis — duxerit scortum,* evidenter ostendit versus 819 *Nam si vir scortum duxit clam uxorem suam.* Potius enim res vera et iterata significatur (*si* = 'so oft'). Sed coniunctivus in illa sententia oritur, quia in sumptam condicionem (*si — plectantur*), cui subiungitur, enuntiationum nexu ipsa quoque recipitur. Similia sunt, nisi quod pro condicionali verbo *siquis* temporale *quom* et relativum *qui* usu veniunt.

Truc. 234. *Nugae sunt, nisi [qui] modo quom dederit, dare iam lubeat denuo.*

[*qui modo* A, *quodo modo* B, *quod amodo* CD; *diberit* A, *iubeat* P]

Curc. 268. *Siquidem incubare velint* *q u i* *p e r i u r a v e r i n t*
Locus non praeberi potis est in Capitolio.
[*periuraverunt* EZ]

Aegre in hoc exemplo diiudicatur, utrum futuri temporis notio iaceat in voce *periuraverint,* an ex perfecti indicativo *periuraverunt* coniunctivus ille provenerit ut in

Amph. 871. *Nam mea sit culpa, quod egomet* *c o n t r a x e r i m*
Si *i d* *Alcumenae innocenti expetat.*

Capt. 203. *at pigeat postea*
Nostrum erum, si *v o s* *eximat vinculis*
Aut solutos sinat, *q u o s* *argento* *e m e r i t.*

: id quod egomet *c o n t r a x i.*
: vos quos argento *e m i t.*

Nam etiam haec perfecti assimilatio aperta est, si pro relat. condicionalem sententiam ad hunc modum substituimus

Si quid egomet contraxerim, id autem Alc. expetat.
Si vos argento emerit, sed post solutos sinat.

Causalem forsitan esse dixeris coniunctivum in relativa sent. Capt. 205 (cfr 258). Quod iure dici potest, cum correlati loco sit pronomen *vos* certos homines designans. Sed non est, cur duo illa exempla discernamus, in quibus coniunctivi assimilati naturam eadem via liceat explicare, ad adversativam paratacticam iunctionem regredientes. — Quae adversativa vis aperta est etiam in hac infinita sent. relativa, quae ad verbum *alia* se applicat:

Mil. 19. *Nil hercle hoc quidemst*
Praeut alia dicam — *q u a e* *t u* *numquam* *f e c e r i s.*
[*(qu)ae tu* A, *tu quae* P].

Indicativus in similibus sent. Capt. 416, 906 res veras simpliciter explicat.

Ad coniunctivum infinitae II personae („man") secundaria sententia assimilatur, si ad idem universale subiec-

tum respicit, — siquidem assimilatio haec appellanda est et non eiusdem coniunctivi repetitio.

Men. 228. *Maior (voluptas)* —

[Quam] Si adveniens terram videas, quae fuerit tua.

Quae fuerit tua = ubi natus sis. Ad quem III personae coniunctivum conferas quaeso Poen. 268 p. 56 et

Merc. 838. *Nam ubi mores deteriores increbrescunt in dies,*
Ubi qui amici, qui infideles si[e]nt nequeas pernoscere,
Ubiqu⟨e⟩ id eripiatur animo tuo quod placeat maxume,
Ibi quidem si regnum detur, non cupitast civitas.
[*ubi qui deripiatur* libri, corr. Scioppius]

Nam coniunctivus v. 840 *eripiatur* post indicativum v. 838 *increbrescunt* non ex eo solum provenit, quod propior est condicionalem sententiam *si* — *detur*, sed vel maxime quod II personae coniunctivum ad universale subiectum spectantem *(nequeas)* excipit et ipse ad sententiam exaequat. Sed possis etiam conferre

Merc. 359. *Ubi voluptatem aegritudo vincat, quid ibi inest amoeni?*

Ubi autem non ad idem universale subiectum respicit secundaria sententia, indicativus restat ut Cist. 25—6. *Ubi istas videas — Ut amicitiam colunt.* In Bacch. 440 *At nunc priusquam septuennis est, si attingas eum manu, Extemplo puer paedagogo tabula dirrumpit caput* licet proximum sit, ut cum primaria sententia temporalem coniungamus, certe indicativus suo loco est, etiamsi eam condicionali sententiae subiungimus.

B. Indicativus.

I. Indicativus in iis sententiis, quae id quod est aut factum est describunt, scilicet longe saepius quam coniunctivus usu venit, quo apertius distinguantur ab iis, quae sumuntur.

1. In omnibus sententiis comparativis ut

Persa 206. *Sed si ut digna's faciant.*

Item undecies.

Capt. 307. *si proinde ut ipse fui imperator familiae*
Habeam dominum, non verear.

2. In relativis sententiis

a) ubi id quod est aut factum est non rei sumptae coniunctivo opponitur, sed explicando narratur — quod apud protases praecipue fit —, sive ad parenthesin rel. sent. prope accedit:

Rud. 978. *si istuc ius sit quod memoras, piscatores perierint.*
Aul. 555, As. 459, Rud. 1021, Trin. 85, 470.

sive per sententiam abesse non potest:

Bacch. 698. *Immo si audias quae dicta dixit —*
Cas. 668, Merc. 419.

Curc. 246. *Potin coniecturam facere, si narrem tibi*
Hac nocte quod ego somniavi dormiens?

Capt. 416. *Si ego item memorem quae me erga multa fecisti bene,*
Nox diem adimat: [*erga me* D]

Ep. 370. Poen. 921. De Capt. 906 v. supra.

Cum quibus exemplis confer coniunctivum Mil. 20.

Cist. 73. *Confidam fore,*
Si medicus veniat, qui huic morbo facere medicinam potest.

As. 507, Mil. 1429, Trin. 1171.

Ad apodosis coniunctivum indicativus se applicat in

Rud. 96. *Si sapiam, hoc quod me mactat concinnem lutum.*
Poen. 971. *Si — habeam, faciam quod iubes.* [*habeant* A].

Certum genus hominum definitur in

Ps. 427. *Homines qui gestant quique auscultant crimina,*
Si meo arbitratu liceat, omnes pendeant.

Persa 73. *Si id fiat, ne isti faxim ⟨n⟩usquam appareant,*
Qui hic — aliena oppugnant bona.

b) ubi vera res praesens rei sumptae coniunctivo — et quidem in omnibus ex. Plautinis coniunctivo apodosis — opponitur. Quae ratio addito verbo *nunc* saepe insuper illustratur.

As. 603. *Ne iste hercle ab ista non — discedat, si licessit,*
Qui nunc festinat —.

Merc. 178. Persa 274—5. Truc. 349 (corr. Cam.).

Aul. 494. *Ego faxim muli, pretio qui superant equos,*
Si[e]nt viliores — (sc. *hoc si ita fiat.*)

Trin. 221. *Pauci sint faxim qui sciant quod nesciunt.*

II. Indicativus in infinitis sententiis non facile usu venit, nisi huc referri licet verbum modale in comparativa enuntiatione quae est:

St. 43. *Et si illi improbi sint atque aliter*
No⟨bi⟩s faciant quam aequomst, tam pol etc.

(Cfr coni. imperfecti in Bacch. 488. *Plus viderem quam — aequom foret),*

vel hunc indicativum in relativa sententia, quae verbum *alia* explicat:

Capt. 906. *Nam si alia memorem, quae ad ventris victum conducunt, morast,*

omni adversativa vi carentem, quae aperta erat in coniunctivi exemplo Mil. 20. *Praeut alia dicam — quae tu numquam feceris.* Aliquid infinitae notionis est etiam in Trin. 221, Ps. 427, Persa 73, quae ex. supra laudavi.

Absoluta fere est relativa sent., a qua periodus incipit in Merc. 838 (v. p. 128), itemque temporalis sent. in Bacch. 440 (v. ibidem); quamquam inspice quae de regenti II personae coniunctivo universali illic dixi.

β. Imperfecti aut plusqpf. coni. est in regenti sententia.

A. **Coniunctivus.**

βI. Idem coniunctivus in utraque sententia est.

Trin. 178, Curc. 700, Bacch. 554 cfr 500.

Rud. 1261. *Dum praedam habere se censeret interim*
Praeda ipsus esset.

Bacch. 486. *si opperiri vellem paulisper modo,*
—8. *Plus viderem quam deceret, quam — aequom foret.* [*vidissem* P; *liceret* A].

Quamquam etiam de assimilatione ex indicativo verbi modalis hic cogitare licet comparato St. 43—44. *si — aliter — faciant quam aequomst.*

βII. Ad irrealem coniunctivum imperfecti attrahitur

imperfecti coniunctivus in

Mil. 733. *Si hoc paravissent —*
—5. *Qui homines probi essent, esset is annona vilior.*
= *qui probi sunt;*

plusquamperfecti coni. in

Bacch. 563. *Quid? tibi non erat meretricum aliarum Athenis copia,*
Quibuscum haberes rem, nisi cum illa quam ego mandassem tibi
Occiperes ⟨*rem*⟩ *tute habere —?*

[565 ⟨*rem*⟩ ipse addidi et *habere* substitui pro codicum *amare*, quod verbum librarius, credo, scripsit, qui, cum excidisset *rem, habere* non potuit interpretari.]

Gravissimum hoc est assimilationis exemplum, quia assimilatur relàtiva sententia, quae certam rem praeteritam exprimit, cum nulla ceteroquin percipi possit coniunctivi commendatio. Apud irrealem igitur coniunctivum imperfecti plurimum valet modorum assimilatio.

B. **Indicativus.**

1. Indicativus est in sent. relativis, ubi aut vera res praesens comparatur aut omnino res verae simpliciter explicantur.

As. 860. *Pol ni vera ista essent, numquam faceret ea quae nunc facit.*

503. *crederes nunc quod fers.* [*quo id* BD[2], *quid hi* D[1]]

Capt. 705. *Quia vera obessent illi quoi operam dabam.* 754, Most. 241—2.

Aul. 439. *Ib⟨i⟩ ubi tibi erat negotium, ad focum si adesses* etc. [*id* libri, *ibi* Guyetus]

2. In temporalibus sententiis item.

Ep. 628. *prius venisset quam tu advenisti.* [*ven(is)se* A]. Mil. 1083.

St. 510. *Vocem ego te —, frater tuos nisi dixisset mihi*
Te apud se cenaturum esse hodie, quom me ad se cenam vocat.

[*nisi* ex *ni* A, *nisi* P; *ad se* A, *ad esse* CD, *ad ee* B]

---

2. Coniunctivus dubitativus vel cum indignatione interrogantis est in primario enuntiato.

α. Praesentis aut perfecti coni. est in primario enuntiato.

A. **Coniunctivus** in secundaria sententia oritur non solum si infinita, sed etiam haud raro si definita est.

Praemittam etiam hic eas periodos, in quibus coniunctivus secundariae sententiae non ex assimilatione provenit, sed suam habet vim non minus quam coniunctivus regens, ut

Bacch. 66. *Penetrem me huiusmodi in palaestram, ubi damnis desudascitur?*
Ubi pro disco damnum c a p i a m, *pro cursura dedecus?*

[*Penetrare huius* libri, corr. Bothius duce Donato]

i. e. *Penetrem — et ibi capiam?* vel — *ubi ⟨si penetrem⟩ capiam.*

Mil. 686—90.

Quae coniunctivi natura in infinitis sententiis plus minusve percipi potest, non solum in condicionali

Amph. 986. *mihi — qui minus liceat deo minitarier*
Populo, ni d e c e d a t *mihi, quam servolo in comoediis?*

sed etiam in relativis ubi *qui* est = *si quis* ut

Mil. 614. Q u o d n e *vobis* p l a c e a t, *displiceat mihi?*

de quo exemplo Lorenz: „nicht Attraktion des Modus, da der Relativsatz vorangeht, sondern als noch mögliche Bedingung zu fassen: *si* q u i d *v.* p l a c e a t, *idne ut displiceat m.?*"

Rud. 1244. *Egone ut* q u o d *ad me allatum esse alienum* s c i a m *Celem?*
quod sciam = si quid sciam.

At iam de his sententiis suo iure dubium movetur, verene infinitae sint et num recte dicatur: „nicht Attraktion des Modus". Nam licet infinita specie indutae sint, in eiusmodi sunt sententiarum nexu, ut ad certas res, de quibus ante agitur, nos eas potissimum referamus: ut in Rudentis exemplo ad vidulum necessario refertur sententia *quod — sciam:* „eine Sache (wie diese), von der ich weiss, dass sie —", in qua sententia obscura saltem, si ulla, est potentialis vis. Alia sunt exempla, quae etiam apertius ad certas res pertinent:

Capt. 961. Q u o d *ego* f a t e a r, *credin pudeat quom autumes?*

Bacch. 1190. *Egon* u b i *filius* c o r r u m p a t u r *meus, ibi potem?*

quae exempla mihi simul videntur refellere argumentationem Lorenzii: „nicht Attraktion des Modus, da der Relativsatz *vorangeht*".

Sed neque diiudicari potest neque opus est inquirere, utrum vere infinita ubique sit sententia secundaria necne. Nam coniunctivum reperimus ex attractione passim oriri etiam in iis sententiis, quae ad singulas certasque res aut personas haud dubie spectant. Cuius coniunctivi explicatio aperta est, si, item ut apud hypotheticos coniunctivos supra fecimus, ad paratacticam iunctionem regredimur, quam hoc Ciceronis exemplo mihi liceat illustrare:

Cic. Cat. II, 8, 18. *Tu — rebus omnibus ornatus — sis et dubites de possessione detrahere?*

Quid enim aliud hoc est quam:

Tun dubites qui ornatus sis?

quale est hoc ex. Plautinum:

Mil. 497. *Tun te expur⟨i⟩ges [mihi],*
Qui facinus tantum tamque indignum feceris?
[*tantum* A, *tam* B]

Non magis mirum igitur est coniunctivum ortum esse in hac definita sententia:

Mil. 426. *Quin ego hoc rogem quod nesciam?*
i. e. *Hoc ego nesciam sed non rogem?*

quam in hac infinita:

Rud. 1244. *Egone ut quod ad me allatum esse alienum sciam Celem?*
i. e. *Egone ut — sciam sed celem?*

Non obscurior est coniunctivi ratio in

Ep. 588. *Non patrem ego te nominem, ubi tu tuam me appelles filiam?*

i. e. *non patrem ego te nominem, tu me appelles filiam?* „du sollst mich Tochter, ich nicht dich Vater nennen dür-

fen" [1]) quam in Bacch. 66—72. *Penetrem me — Ubi — capiam? = penetrem me et ibi capiam?*

Certae leges non possunt statui, ubi coniunctivus, ubi indicativus adhibitus sit. Variantur enim modi haud aliter atque omnino in relativis sententiis causalibus et concessivis, quorum cum coniunctivo hic coniunctivus proxima cognatione connexus est. — Sed semper fere coniunctivus usu venit, si in utraque sententia idem subiectum est. Facilius enim tum coniunctivum provenire, ostendunt haec exempla comparata:

Rud. 1244. *Egone ut quod — esse alienum sciam Celem?*
1230. *Aequom videtur tibi ut ego alienum quod est Meum esse dicam?*

Mil. 55. *Quid tibi ego dicam quod omnes mortales sciunt?*
Merc. 513. *Nec mos meust ut praedicem, quod ego omneis scire credam.*

Mil. 300. *Quid tibi vis dicam, nisi quod viderim?*
Ep. 19. *Quid tibi vis dicam nisi quod est?*

Exempla universa enumerabo.

1. Idem est utriusque sententiae subiectum.

Praesentis coniunctivus in rel. sent.

Amph. 434. *Quid ego ni negem, qui egomet siem?*
cfr ind. 373. *Tun te audes Sosiam esse dicere, Qui ego sum?*
As. 837. *— An tu [esse] me tristem putas?*
|| *Putem ego quem videam aeque esse maestum* —.
Merc. 573. *quodne amem?* audito regenti coniunctivo [2])

[1]) Sic recte Lange De sent. temp. apud prisc. scriptores lat. syntaxi Vratislaviae 1878 p. 44.

[2]) Merc. 570. *amplecti voles*
Confabulari atque ausculari —
—3. *Pervorse facies.* || *Quodne amem?* || *Tanto minus.*
—5. *Senex hircosus tu ausculere mulierem?*
[*quodne ames* libri, corr. Scaliger.]

Quid audiendum sit in hac compendiosa periodo facilius est

Mil. 426. *Quin ego hoc rogem quod nesciam?*
[*quđ* B, sed *đ* e *t* corr. B², *quę* CD]

Persa 26. *cum eis belligerem,*
Quibus sat esse non queam?
[*cum eis* A, *cum dis* P]

Ps. 917. *Quippe ego te ni contemnam,*
Stratioticus homo qui cluear?
[*ni* P, *me* A. *homo qui* P, *esse homo* A]

Rud. 1244. *Egone ut quod ad me allatum esse alienum sciam Celem?*

As. 628. *Tun verberes qui pro cibo habeas te verberari?*

Mil. 614. *Quodne vobis placeat, displiceat mihi?*

Perfecti coniunctivus in rel. sent.

Mil. 556. *Vidi: cur negem quod viderim?*

Mil. 497. *Tun te expur⟨i⟩ges [mihi],*
Qui facinus tantum tamque indignum feceris?
[*tantum* A, *tam* B.]

Poen. 281. *Etiamne ut ames eam quam numquam tetigeris?*

2. Cetera exempla sunt:

Praesentis coniunctivus post *ubi:*

Bacch. 1190. *Egon ubi filius corrumpatur meus, ibi potem?*

sentire quam certis verbis exprimere. Leo, qui defendit codicum *ames*, ad universale subiectum hoc refert audiens ⟨*si ausculere*⟩. «Wenn man küsst den man liebt». Quae confragosa mihi esse videtur defensio lectionis, quam ex simili exitu verbi propinqui *facies* ortam esse potius crediderim cum Scaligero, qui coniecit *amem*. Atque facillimum mihi videtur audire *Quodne amem ⟨id non ausculer⟩?* «Sie die ich liebe ⟨sollte ich sie nicht küssen dürfen⟩»?

Ep. 588. *Non patrem ego te nominem, ubi tu tuam me appelles filiam?*
[*appelles* ex *appellas* B]

Men. 559. *Egone hic me patiar * in matrimonio,*
Ubi vir compilet clanculum quicquid domist
Atque ea ad amicam deferat?

post *quom:*

Bacch. 1192[a]. *Egon quom haec cum illo accubet inspectem?*
[*accumbet* libri]

Most. 896. *Tibi obtemperem, quom tu mihi nequeas?*
[*neq' eas* libri]

Incerta lectio est in

Cas. 618. *Aut quid ego umquam erga Venerem inique fecerim,*
Quoi sic tot amanti obviam mi eveniant morae?
[618 *quod* libri, corr. Gronovius; 619 sic ceteri, A *sic amanti— eveniunt*]

Nil interest utrum *eveniunt* an *-ant* legamus. *Quid — fecerim?* eiusdem generis interrogatio atque Amph. 748. *Ubi ego audiverim?* vel Truc. 295. *Quid est quod vobis pessumae haec malefecerint?* Frustra Leo de constructionum commixtione loquitur et Ps. 562 sq. confert, qui versus non similes sunt. Fortasse *quod* retineri potest. V. As. 52, Cist. 707, Rud. 1355 (Truc. 383, Mil. 893 [B, *quid* CD]), ubi si libris credimus est *quod* pro *quid.*

Perfecti coniunctivus in relativis sent.

Ep. 574. *Egone osculum huic dem? ‖ Quor non, quae ex te nata sit?*
[*natasit* A, *natast* BZ, *nata est* JF. corr. Aldina]

Mil. 1276. *Egon ad illam eam quae nupta sit?*

Ps. 96. *Quid ego ni fleam,*
Quoi nec paratus nummus argenti siet
Neque — spes sit —?

Mil. 554. *Quidni fateare ego quod viderim?*
[*fateare ergo* A, *fatear et ego et* P (*fatear ego* B[2]), corr. D[3]F; *viderit* B[1]CD] cfr 556 supra.

post quod causale '

As. 45. *cur miniter tibi,*
—8. *Propterea quod me non scientem feceris?*[1])

Etiam ex his exemplis, in quibus suum est utriusque sententiae subiectum, pauca sunt, ubi non de subiecto regentis sententiae in secundaria quoque agatur (Mil. 1276, 554), — quae sententiae artius scilicet cohaerent, quam ubi nullum eiusmodi commune vinculum est.

Dixeris me hic parum distinguere inter se coniunctivum concessivum (causalem) et coniunctivum modorum assimilationis. Quod tibi sane concedo, cum ne possint quidem hi coniunctivi certis finibus inter se seiungi. Primum enim ab eodem coniunctivo i. e. a coni. interrogationis indignantis utrumque deducere licet[2]), cuius coniunctivi auxilio etiam res vera aut iam facta eo vocis sono eoque sensu proferri potest, quasi de re sumpta agatur vel futurali, quam quis prohibere velit. — Id enim coniunctivi interrogationis indignantis proprium est, ut respuat negetve. — Deinde cum ad paratacticam iunctionem adversativam hunc coniunctivum assimilatum, ut supra ostendi, liceat referre, apertum est

[1]) Ingeniosius quam verius Blass Rh. Mus. 1882 p. 151 coniunctivum in versu

As. 52. *Equidem scio iam filius quod amet meus*

ita explicat, ut coniungat

49. *Aut cur postremo filio suscenseam,*
Patres ut faciunt ceteri, —
52. [Dem.] — ⟨Dem.⟩ *filius quod amet meus?*

Libano tribuens verba quae intercedunt; quo fit ut similis efficiatur periodus atque in vv. 45—48. Sed neque probabilis est haec sermonis interruptio et offendit repetitum verbum *filio* — *filius*. Coniunctivus v. 52 est interrogationis indirectae, ubi *quod* est pro *quid;* cfr supra p. 137 ad Cas. 618.

[2]) De hac re alias fusius disputabo.

adversativam vel concessivam notionem illi coniunctivo quasi suam inesse. — Quaeri quidem potest, sed vix diiudicari, uter coniunctivus prior exstiterit. Sed ne a concessivo assimilatum coniunctivum deducamus neve illi omnia exempla quae attuli referamus, satis cavet hic coniunctivus post *quod causale:*

As. 45. *cur miniter tibi,*
—8. *Propterea quod me non scientem feceris?*

itemque illi quos supra vidimus post *ubi* usurpari in Ep. 588 et Men. 559—60.

Maxime aperta est concessiva vel causalis vis in relativis sent., quae certas res vel certos homines definiunt (praesertim si correlatum ascriptum est). Sed quod est illustrius assimilationis exemplum quam hoc:

Mil. 426. *Quin ego hoc rogem quod nesciam?*

B. **Indicativus.**

Coniunctivus cum sententias proxime inter se connectat, indicativus rem simpliciter explicat.

Coniunctivum attractionis praeter causalem sent. As. 48 in relativis tantum enuntiatis repperimus. Iam indicativos inspiciamus.

1. Relativae sententiae.

I. Indicativus praecipue suo loco est, ubi in nexu sententiarum non aperta est adversativa vis; sed etiamsi aliqua adest, semper indicativus usu venit in definitis sententiis iis, quibus substantiva explicantur, saepe ubi correlatum adest, raro (semel vel bis) ubi correlatum omissum est. Et quidem raro (ter) indicativus nobis occurrit, ubi idem est utriusque sententiae subiectum, saepius ubi diversa sunt.

Substantiva explicantur.

As. 884. *Egon ut non domo uxori meae*
Subrupiam in deliciis pallam quam habet — ?
Non edepol conduci possum vita uxoris annua.

Bacch. 66. *Penetrem me huius modi in palaestram, ubi damnis desudascitur?*

De coniunctivis qui sequuntur v. supra p. 133.

Curc. 494. *Egon ab lenone quicquam*
Mancipio accipiam, quibus sui nil est nisi una lingua?
[*occipiam:* corr. Pius]

616. *Mean ancilla libera ut sit, quam ego numquam emisi manu?*

Pronomen correlati loco est.

Rarius ind. usu venit, ubi idem est utriusque sent. subiectum:

Most. 301. *Egone id exprobrem, qui mihimet cupio id o⟨p⟩prob⟨r⟩arier,*
Nec — locavi —?

qui indicativus rei veritatem intendit: „der ich vielmehr wünsche —"

Curc. 119. *Egon salva sim, quae siti sicca sum?*

ubi *eiusdem verbi* indicativus coniunctivo opponitur. In Amph. 77 verbum omissum est.

Perfecti ind. est in

Cas. 701. *Nam cur non ego id perpetrem quod coepi?*
[*num quam* A incert., *nam cur* P]

quod ex. a coniunctivi exemplis Mil. 554 et 556 differt addito correlato *id,* quo ad explicativam sententiam propius adducitur *(id quod coepi = consilium meum).*

Paulo saepius indicativus servatur, ubi suum est utriusque sententiae subiectum, praesertim si non de subiecto regentis sententiae in secundaria agitur.

As. 94. *Ten ego defrudem, quoi ipsi nil est in manu,*
Nisi quid tu porro uxorem defrudaveris?

Persa 747. *Tuan ego causa, carnufex,*

Quoiquam mortali libero auris atteram,
Qui hic commercaris civis homines liberos?

Indicativum metrum flagitat in

Ps. 516. *Egon ut cavere nequeam, quoi praedi⟨ci⟩tur?*

De As. 724 et Persa 636 mox.

In hoc solo ex. correlatum non adest, sed auditur substantivum *lenones:*

Ps. 205[b]. *illinc audeant*
Id facere, quibus ut serviant
Suos amor cogit?
[*illinc* A, *ne illi* P]

Ubi verbum *nisi* relativo pronomini antecedit, indicativus facillime servatur. Hoc enim verbo addito adversativa vis lenitur saltem, si non tota absumitur. Correlatum cum adsit, indicativus eo magis requiritur in his definitis sententiis:

As. 724. *Quid ego aliud exoptem amplius nisi illud quoius inopiast?*

Persa 636. *Quae mihi sit nisi haec, ubi nunc sum?*

Sed et omisso correlato indicativus nobis occurrit in Ep. 19. *Quid tibi vis dicam nisi quod est?* (cum coniunctivus reperiatur, ubi idem est utriusque sententiae subiectum: Mil. 300. *Quid tibi vis dicam, nisi quod viderim?*) et in infinita sententia rel.

Persa 132. *Me ut quisquam norit nisi ille qui praebet cibum?*

II. Praeter Persae 132 alterum hoc est indicativi servati exemplum in infinita sent. rel., quae adversativa vi caret, correlato ascripto:

Persa 638. *Tamquam hominem, quando animam ecflavit, quid eum quaeras qui fuit?*

Indicativus in hac sent., quae notionem *mortuum* exprimit, eo probabilior est, quod in idem verbum versus antecedentes exeunt.

2. In temporali sent. definita post ***dum*** sine ulla adversativa vi:

Most. 1017. *Mecum ut ille hic gesserit,*
Dum tu hinc abes, negoti?

et in infinita, quae quasi libera antecedit: Persa 638 v. supra.

3. In comparativa sententia definita:

Mil. 615. *Quis homo sit magis meus quam ⟨t⟩u's?*
[*scit* B (*cit* m. 2 in ras), *quamvis* B, ***quamus*** CD¹.]

Praesentis indicativi omnia, quae attuli, exempla fuerunt praeter Persae 638 et Cas. 701 ubi perfectum est.

β). Imperfecti coni. est in primario enuntiato.

Coni. plusquamperf. est in secundaria sent.

Bacch. 196. *Egon ut, quod ab illo⟨c⟩ attigisset **nuntius**,*
Non impetratum id advenienti ei redderem?

qui coni eiusdem generis est atque in exemplo quod p. 27 attuli:

Trin. 175. *Utrum indicare me ei thensaurum aequom fuit*
Advorsum quam eius me opsecravisset pater?

vel in eo quod p. 131 laudavi:

Bacch. 564. *nisi cum illa quam ego mandassem tibi Occiperes* —.

Etiam praesentis coni. nobis occurrit in hac concessiva sent.:

Mil. 962. *Vah, egone ut ad te ab libertina esse audere⟨m⟩ internuntius,*
Qui ingenuis satis responsare[t] nequeas, quae cupi⟨un⟩t tui?

Sed retinetur indicativi praesentis et perfecti apud imperfecti coniunctivos, qui proxime iussivi praeteriti sunt, in his:

Curc. 552. *Quis res publica et privata geritur, nonne is crederem?*

Trin. 969. *quem ego qui sit homo nescio*
Neque oculis — vidi, eine aurum crederem?

---

3. Coniunctivus potentialis aut irrealis aientis aut negantis est in primario enuntiato.

A. Coniunctivus.

I. Coniunctivus potentialis aut irrealis etiam in secundaria sententia est.

Most. 741. *Velim ut tu velles.*

[*ut u///* B[1], *ut ut* B[2]; *Vellem* Leo secundum Muretum, concinnitati magis anxie quam Plautus ipse consulens.]

Capt. 237. *Quod tibi suadeam, suadeam meo patri.*

Is qui hunc versum finxit, id dictum voluit: „was ich dir raten möchte, das möchte ich meinem Vater raten". Sed eiusmodi coniunctivus potentialis[1]) vix plautinus est: quo iustior est causa, cur cum Langeno et Leone hunc versum expellamus. Frustra G.-S. cum Camerario *suadeo* priore loco scripserunt. Leoni haec verba facienti: „*coniunctivus attractione duplex ut Curc.* 484, *Most.* 1100, *ut futurum duplex Trin.* 714" ita tantum assentiri possum, si universalem[2]) esse sententiam putat = *quodcumque tibi suadeo (suadebo).* Quamquam etiam huius attractionis ad po-

---

[1]) Interpolatori exemplo fuit versus qui sequitur: 238. *Pol ego si te audeam, meum patrem nominem.*

[2]) Non definitam ut voluit Schoell append. a. h. l. ‹*quod tibi suadeo (nunc ut liber sis causa mea)*›.

tentialem coni. factae exempla certa desunt. Infinitivo enim, non regenti coniunctivo potentiali debetur coniunctivus in

Cist. 497. *Quodcumque optes, tibi velim contingere.*

Finalis est coni. in

Ep. 536. *Pervelim mercedem dare qui monstret —.*
Rud. 211. *Saltem aliquem velim qui — monstret.*

II. Ad irrealem coni. imperfecti *(vellem)* assimilatur temporalis sent. in

Poen. 681. *Videre equidem vos vellem, quom huic aurum darem.*

Sed temporis attractio haec potius appellanda est quam modi, cum perbene dicatur *videre equidem vos volo quom h. a. dem*, ubi infinitivo coniunctivus debetur. Sed etiam imperfecti assimilatio facilis erat, cum irrealis quodammodo temporalis quoque sent. per se esset. Nam etiam ipsa auri traditio irrita futura erat, si non advocati inspectarent.

In nullo igitur exemplo assimilatio fit nisi ita, ut potentialis aut irrealis notio etiam secundariae sententiae addatur; apud potentialem coni. ne id quidem in ullo certo exemplo.

B. Indicativus.

Regenti coniunctivo potentiali secundaria sententia non afficitur,

ut Bacch. 914. *Si non est, nolis esse neque desideres:*
Si est, abstinere quin attingas non queas.

In As. 894. *Fufae, nauteam*
Bibere malim, si necessum est, quam illam oscularier,

ubi secundum Nonii *necesse sit* editores correxerunt *necessum sit*, certe non propter coniunctivum *malim* corrigere opus est.

Indicativi apud irrealem coniunctivum servati exemplum non habeo.

II. Coniunctivus regens ipse pendet.

Coniunctivum voluntatis et coniunctivum rei sumptae non licet aeque certis finibus hic atque in absoluto coniunctivo tractando discernere, cum non semper liqueat, ex utro singuli coniunctivi subiecti deducendi sint. Tamen, quod ad modorum assimilationem attinet, reperiemus eadem partitione hic opus esse. Ad ceteros enim coniunctivos, item ut apud voluntatis coniunctivum absolutum, infinita tantum sent. secundaria quae eiusdem temporis est assimilatur, ad eos autem, qui rei sumptae coniunctivi vim atque significationem redolent, insuper et infinitae sent. alieni temporis et definitae sent. haud raro assimilantur.

α. Coniunctivus regens praesentis aut perfecti temporis est.

A. Coniunctivus.

§§ 1. Coniunctivus oritur in infinitis sententiis secundariis, quae cum regentis coniunctivi tempore congruunt, semper fere si ad futurum tempus utraque sententia pertinet, paulo solutius si ad praesens (in iterativis periodis); semper (quamquam pauca ex. sunt) si ad perfectum.

1. Condicionales sententiae.

Ad futurum tempus et coniunctivus regens et secundaria sententia spectant.

Difficile est ubique diiudicare, utrum coniunctivus condicionalis sententiae modorum attractioni an nexui condicionali debeatur, — praesertim cum semper nobis occurrat post *si, si quis (= si forte), etsi,* ubi iam in absoluta dictione liberius usurpatur, in nullo ex. post *nisi, ni* —. Tamen in exemplis, quae iam afferam, credibile videtur

coniunctivum subiunctae periodi ex indicativo futuri absolutae periodi provenisse.

a. Praesentis coniunctivus.

a[1]. Regenti sententiae interiecta est condicionalis sententia:

Capt. 353. *Numquae causast quin, si ille huc non redeat, viginti minas*
Mihi des pro illo? Cfr p. 91.

Rud. 924. *Re⟨p⟩peri ut piger si velim siem.*

Curc. 29.

Merc. 912. *puere — isti[n]c sta ilico,*
Ut, si haec non sint vera, inceptum hoc itiner[e] perficere exsequar.

[*istinc sat* libri, corr. Cam., *sit* B, *sint* ceteri]

Men. 555. *Demam hanc coronam atque abiciam —,*
Ut, si qui⟨s⟩ sequatur, hac me abiisse censeant.

[sic Leo; *si quis* C ante corr.: *si qui* C ex. corr. DB[2], *sequi* B[1], *si qui sequantur* FZ fortasse recte; *hac* B[2], *hec* ceteri]

Cum Nonio G-S.: *Ut, si sequentur me, hac abiisse censeant.* Sed indicativus futuri in sent. condicionali, quae regenti sententiae interiecta est, exemplo probari nequit.

a[2]. Regentem coniunctivum sequitur condicionalis sententia:

Capt. 856. *Quin ita faciam, ut ⟨tu⟩te cupias facere sumptum, etsi ego vetem.*

Cist. 673. *Quae in tergum meum ne veniant male formido*
Si era mea ⟨me⟩ sciat tam socordem esse quam sum.

Cist. 592. *Vir tuos si veniet, iube domi o⟨p⟩peririer,*
Ne ⟨in⟩ quaestione mihi sit, siquid eum velim.
[*quaestionem* B, *-oni* J]

Curc. 467. *Commonstrabo quo in quemque — inveniatis loco,*

Ne nimio opere sumat operam, siquem conventum velit.

Vid. 106 (Fr. XIII) *malo hunc adligari ad ⟨h⟩oriam,*
Ut semper piscetur, etsi sit tempestas maxuma.

In St. 78—80 mihi arridet lectio Leonis: *an — temptem saeviter, si — malint.*

a². Inter primariam et regentem sententiam posita est condic. sent.

Ep. 364. *eum docebo, Siqui[d] ad eum adveniant, ut sibi esse datum argentum dicat.*
[sic Camer., *siquid — adveniam* libri]

Trin. 1170. *metuo, si tibi*
Denegem quod me oras, ne te leviorem erga me putes.

487. v. p. 93.

Rud. 1127. *Concredam tibi: Ac si istorum nihil sit, ut mihi reddas.*

In duobus exemplis, quae sunt Merc. 912—3 et Rud. 1128, si dicas ad praesens tempus condicionalem sententiam respicere, conferas quaeso Rud. 1137. *Si erunt vera,* 1134. *Ibi ego dicam quicquid inerit,* ne alia ex. proferam, in quibus ad futurum tempus regentis sent. secundaria attrahitur.

Praesentis temporis coniunctivum assimilatum haberemus, sive cum Ussingio legeremus in

Rud. 635. *At ego te — optestor,*
Ut tibi, ⟨si⟩ ulmeam uberem esse speres virgidemiam,
—8. *Ut mihi istuc dicas,*

sive cum Leone

636. *Ut, tibi ulmeam ni deesse speres virgidemiam,*
[*ni deesse* Leo. *ubi rem esse* B, *uberem esse* CD [1])]

---

[1]) *ni metere speras* Schoell pravam efficiens sententiam, cum maledicendi notionem totam tollat (v. 639 *qui lubet maledicere?*).

Sed tenenda, credo, est codicum lectio

Rud. 636. *Ut tibi ulmeam uberem esse speres v.*

idemque coni. agnoscendus est, qui paulo ante usu venit in v. 632. *Atque — siccitas ut sit tibi.*

Ut enim non solum in paratactica iurisiurandi formula „*Ita me di ament*" (Cfr Hor. Od. I. 3, 1. *Sic te diva potens Cypri — regat,*) Plautus optativum modum usurpat, sed etiam in condicionali sent. post *si:*

Mil. 571. *Ne tu hercle, si te di ament, linguam conprimes:*

[*ament* AB, *amant* CD; *conprimes* A, *conprimis* P]

Cfr „*so wahr dich Gott helfe*",

ita in illis duobus versibus 632 et 636, qui inter se defendunt, optativus modus post *ut* adhibitus est.

In iterativa praesentis temporis periodo est coni. Curc. 379 v. p. 82.

b. Perfecti coniunctivus est.

b¹. Regenti sententiae interiecta est cond. sent.

Bacch. 1037. *Neque ego haud committam, ut, si quid peccatum siet,*
Fecisse dicas de [me] mea sententia.
(= si quid peccatum erit)

Mil. 242. *Ut, si illic concriminatus sit —*
Meus conservos, eam vidisse hic cum alieno osculari, eam
Arguam vidisse apud te etc.
[243 *eum vidisset* libri, corr. B²]

b². Sequitur condic. sent.:

Most. 922. *At enim ne quid captioni⟨s⟩ mihi sit, si dederim tibi.*
[*sed* libri, *sit* B².]

Trin. 754. *Quem fodere metuo, sonitum ne ille exaudiat,*
Neu rem ipsam indaget, dotem dare si dixerim.

Simile est, nisi quod ad II personam oblique referri potest (v. p. 91), hoc ex.:

Ps. 92. *An tu te ea caussa vis sciens suspendere,*
Ut me defraudes, drachumam si dederim tibi?

Poen. 25. *Domum abeant —:*
Ne et hic varientur virgis et loris modi,
Si minus cura⟨s⟩sint, quom eri ⟨re⟩veniant domum.

Coniunctivum esse *curassint* apparet ex coniunctivo qui sequitur: *reveniant.* Coniunctivus, credo, est etiam in

Amph. 724. *Ut quod obrodat sit, animo si male esse occeperit.*

b'. Inter primariam et regentem sententiam posita est cond. sent.

Mil. 1362. *Quaeso memineris, si forte liber fieri occeperim*
(Mittam nuntium ad te), ne me deseras.

[*Queso* B, *quaeso ut* (ex *ot*) CD, *fieri occeperit* BCD, corr. FZ]

Sic recte mihi videtur interpunxisse Leo.

Ep. 310 ambigua specie. — In uno exemplo perfecti indicativus in coniunctivum abiisse videtur:

Rud. 1294. *signabo iam usque quaque,*
Siquis perdiderit vidulum cum auro atque argento multo,
A⟨d⟩ Gripum ut veniat.

Sed nescio an hic eadem ratione, qua in exemplis dudum laudatis Rud. 1134 et 1137, secundaria sententia ad futurum tempus regentis sent. attracta sit. Ut enim in Rud. 1137 *si erunt vera* idem est quod *si reperientur esse vera,* ita hic *siquis perdiderit* idem est quod *siquis reperiet se perdidisse.*

Quare non ex hoc exemplo concludi licet latius patere assimilationem modorum apud voluntatis coniunctivum subiunctum quam apud absolutum. Nam ut illic vidimus modos non assimilari, ubi tempora utriusque sententiae non congruerent *(si quis perdidit — veniat)*, ita ne hic quidem *perdiderit* ex *perdidit* oriri potuisse credo, licet verbo *signabo* periodus illa subiungatur.

b[4]. Anceps verbi species est in Trin. 157 (cfr Poen. 1085), Ps. 533 (cfr Most. 434).

2. Universales vel infinitae sententiae relativae.

a. Praesentis coniunctivus est.

Ubi ad futurum tempus utraque sententia pertinet, lex est, ut coniunctivus usurpetur; ex qua lege modalia tantum verba excipienda sunt. Paulo liberior est modorum usus, ubi ad praesens tempus infinita vel iterativa sententia sicut coni. regens refertur.

Relativa sententia in exemplis longe plurimis aut regenti sententiae interiecta est aut eam sequitur; bis vel ter inter primariam et regentem sent. intercedit.

a[1]. Regenti sententiae interiecta est relativa sent.:

Aul. 599. *†Herile imperium ediscat, ut quod frons velit oculi sciant.* [*fronos* corr. B[2]]

Bacch. 353 v. p. 155.

Cas. 252. *iam domuisti animum, potius ut, quod vir velit Fieri, id facias* (Cfr p. 91).

Men. 548. *Haec me curaturum dicito*
Ut quantum possint quique liceant veneant.
[*possent* D, *possit* FZ, *veniant* CDFZ.]

Cfr Capt. 448. *Ut quam primum possis redeas.*

Amph. 630. *Et memor sum et diligens, ut quae imperes compareant.*

Merc. 504. *Qur emeris me* || *Tene ego? ut* *quod imperetur facias,*

Item quod tu mihi [si] imperes ego faciam.
|| *Facere certumst*
— *quae te velle arbitrabor.*

Recte, credo, Camerarius eiecit verbum *si*, quod inepta explicatione Leo a. h. l.[1]) defendere conatur. Plorantem enim puellam senex non re venerea commemoranda solatur sed benignis verbis *(ut quod — imperes ego faciam)*. Quibus permota puella eodem sensu respondet. Non probanda temptarunt Ritschl et Ussing.

Persa 616. *Scio ego officium meum, ut, quae rogitet, vera ut accepi eloquar.*
[*rogit(er)* A, *rogitet* P.]

Incertior est littera *r* in A, quam ut propter eam cum Grutero et omnibus editoribus certam ceterorum codicum lectionem *rogitet* = *quaecumque* ⟨*leno*⟩ *rogitabit* deseramus. De indicativo *accepi* infra.

St. 686. *Quisquis praetereat, commissatum volo vocari* || *Convenit,*
Dum quidem hercle quisque veniat, ⟨*veniat*⟩ *cum vino suo.*

Etiam in hoc ex. incertae sunt litterae in A: *quisqu(e veniat veniat)*, cum in ceteris libris sit *quisque veniat*. Sed contra sermonem Plautinum in hac rel. sententia infinita, quae regenti sententiae interiecta est, Goetz supplevit ⟨*veniet*⟩ „fort. cum A", ut ait in minore ed. Coniunctivus *veniat* autem, ut legit Leo, eo probabilior est, quod similis coniunctivus proxime antecedit: *quisquis praetereat*.

In Truc. 430. *Ecastor munus te curaturum scio,*
Ut quoius me non paeniteat mitta⟨*s*⟩ *mihi*,
simul et consecutiva et obliqua vis cogitari potest.

---

[1]) «505 hoc dicit: quod ego item faciam, si tu mihi imperes, rem veneream scilicet».

Curc. 28. *Ita tuom conferto amare* —
Ne id quod ames, populus si sciat, tibi sit probro.

Men. 994. *Care quisquam quod illic minitetur vostrum flocci fecerit.*

Care hoc loco in meram notionem particulae *ne* abiit.

Poen. 881. *Quid ergo dubitas, quin lubenter tuo ero meus quid possiet*
Facere faciat —?
[*quin* A, *qui* P; *quid* ACD, *quod* B]

746. *Suspendant omnes nunciam se haruspices,*
Quam ego illis posthac quod loquantur creduam.
[*sese* A, *illis* om. B]

a². Relativa sententia sequitur.

Mil. 40. *Norisse — me — decet*
Curamque adhibere, ut praeolat mihi quod tu velis.
[sic A, *praevolat mihi quo* B]

Persa 601. *(roga) Ut tibi percontari liceat quae velis* (cfr p. 93).

155. *chlamydem adferto et causi⟨a⟩m,*
Quam ille habeat qui hanc lenoni huic vendat.

Cfr p. 143 indicativum futuri post absolutum coni. voluntatis: 524. *Ac suo periculo is emat qui eam mercabitur.*

Post consecutivum coni. in iterativa periodo est coni. in

Most. 173. *Virtute formae id evenit, te ut deceat quicquid habeas.*

Post interrogativum coniunctivum est coniunctivus in re sumpta:

Cas. 570. *Nam meo quidem animo, qui advocatos advocet,*
Rogitare oportet —,
Adsitne ei animus necne adsit quem advocet.

in iterativa periodo:

Trin. 210. *Falson an vero laudent, culpent* quem velint,
Non flocci faciunt, dum illud quod lubeat sciant.
[*flacci — iubeant* A]

In ceteris exemplis coniunctivus reperitur post negativae notionis sententiam regentem et quidem iam negativae notioni coniunctivus tribuendus est in relativa sententia, quae infinitum pronomen negativum (*nemo, nihil, quisquam* etc.) sive ascriptum sive auditum definit.

Aul. 211. *Dumquidem* nequid *perconteris,* quod *[mihi] non* lubeat *proloqui.*

Bacch. 1173. *Non metuo* nequid *mihi doleat* quod ferias.

Men. 1100. *Promeruisti, ut* nequid *ores* quod velis *quin impetres.*

Cfr infra 1067 et p. 103 Cist. 110, St. 149.

Ep. 283. *ne gravetur* quod velis.

Most. 902. *cautost opus,*
Ne huc exeat qui *male me* mulcet.
[*me* om. A ut vid. *multet* B[1]]

St. 121. *ut cotidie*
Pridie caveat, ne *faciat* quod pigeat *postridie.*

(Most. 415, Poen. 1202) Cfr Curc. 29, Men. 994 supra p. 152.

Ps. 205. *illine audeant Id facere, quibus ut serviant*
Suos amor cogit? [Simul prohibet faciant adversum eos quod nolint*].*
[*nolint* A, *nolunt* BCD, *volunt* FZ.]

Verba inepta recte, credo, removit Ritschl. Sed si Plautina sunt, coniunctivus certe cum A adhibendus est. Nam post negativae notionis regentem sententiam indicativum in infinita sent. ne modalis quidem verbi facile usurpari posse sentio.

Coniunctivus regens, negativae sent. primariae ipse subiunctus, eiusdem significationis est atque coniunctivus cum indignatione interrogantis (de quo p. 132 sqq.):

As. 844. *at non eo quia tibi non cupiam quae velis.*
= egone ut tibi non cupiam?
[*at* JF, *ac* ceteri; *quin*, corr. Ac.]

Capt. 937. *lingua nullast qua negem quidquid roges.*

Men. 1067. *Non edepol ita promeruisti de me, ut pigeat quae velis.*

Merc. 513. *Nec mos meust ut praedicem, quod ego omneis scire credam.*

1005. *non utibilest hic locus, factis tuis,*
Dum memoramus, arbitri ut sint qui praetereant per vias.

[*utibile si* CD, *ut si* B corr. Ritschl. *arbitrium* B]

Qualitatis notio accessit in

Amph. 60. *Nam me perpetuo facere ut sit comoedia,*
Reges quo veniant et di, non par arbitror.
„ein Stück, in dem"

a². Bis tantum relativa sententia inter primariam et regentem sententiam posita est:

Cas. 866. *⟨te⟩ nunc praesidem*
Volo hic, Pardalisca, esse: qui hinc exeat
Eum ut ludibrio habeas.

Mil. 1228. *oro et quaeso,*
Ut eius mihi sit copia quem amo —
Benignusque erga me ⟨ut⟩ siet: quod cupiam ne gravetur. [*ut siet* Z, *siet* CD, *et* B]

Infinitam enim esse contendo hanc sententiam non aliter ac supra in

Ep. 283. *ne gravetur quod velis.*

Qua ratione modestius mihi videtur Acroteleutium rem lubricam tangere. Si vero definita esset enuntiatio *quod cupiam* = *hoc quod cupio*, — quod unicum esset praesentis assimilati exemplum in certa re post subiunctum coniunctivum voluntatis, quale post absolutum coni. vol. nullum

invenimus -- non intelligitur, cur indicativus restaret in v. 1229 *quem amo.*

Tertium adnumerari potest exemplum hoc:

Bacch. 352. *Ita feci, ut auri quantum vellet sumeret,*
Quantum autem lubeat reddere, ut reddat patri.

Sed cum *ut* v. 353 repetitum modo sit ex v. 352, rectius haec enuntiatio regenti sententiae interiecta esse dicitur.

De Merc. 36. v. supra p. 82.

b. Perfecti coniunctivus.

b[1]. Regenti sententiae interiecta est rel. sent.:

Ad infinitum tempus praeteritum utraque sententia respicit in

As. 567. *Verum edepol ne etiam tua quoque malefacta iterari multa*
Et vero possunt: ubi sciens fideli infidus fueris,
—72. *Ubi creditum quod sit tibi datum esse pernegaris.*

Ad futurum tempus cetera ex. spectant.

Truc. 95. *adservate aedis,*
Nequis adventor gravior abaetat quam adveniat,
Neu, qui manus attulerit sterilis —,
Gravidas foras exportet.

[*abeat* CD, 97 *quis* Priscianus; *exortet* libri, corr. Prisc.]

Mil. 741. *Nam hospes nullus tam in amici hospitium devorti potest,*
Quin, ubi triduom continuom fuerit, iam odiosus siet:
Verum ubi dies decem continuos sit, east odiorum Ilias.

Coniunctivos esse in his periodis *attulerit* et *fuerit* eo credibilius est, quod negativis sententiis interiecti sunt.

Quin in Truc. 96—97 coniunctivus attractionis antecedit: *adveniat.* Sed in Militis exemplo si absolutus est versus 743 et non repente abrumpitur oratio a *quin* pendens post *ubi — continuos sit,* etiam in v. 742 coniunctivus *fuerit* potentialis esse potest (*ubi* = *si quo loco,* cfr Merc. 359 p. 128).

Mil. 149. *Faciemus ut quod viderit non viderit.*

b². Sequitur relativa sent.:

In As. 122. etiam obliqua ratio est (v. p. 81).

Mil. 369. *Numquam hercle deterrebor*
Quin viderim id quod viderim.
[*deterrebo* CD, *quod viderit* B¹, corr. B²]

Anceps verbi species est in

Bacch. 340. — *numquam te morabitur,*
Quin habeas illud, quo die illuc veneris.

Sed cum ad sententiam temporalis sit haec enuntiatio, indicativus, credo, est ut in temporalibus quas reperiemus p. 161.

b³. Inter primariam et regentem sententiam relativa sent. posita est:

Most. 412. *Verum id videndumst, id viri doctist opus,*
Quae dissignata sint et facta nequiter,
Tranquille cuncta et ut proveniant sine [*mo*] *malo.*
[*docte est* B¹CD, *docti est* B ex ras.; *dissignata* B¹; *nequitia* libri, corr. Dousa]

Anceps verbi species est in

Poen. 702. *faciam, ubi tu laveris,*
Ibi ut balniator faciat unguentariam.
[*laveres* A.]

Sed desunt exempla, quae probent indicativum esse.

Duo ex his sunt exempla, in quibus coniunctivus perfecti forsitan cui videatur ad certam rem praeteritam respicere:

Mil. 149. *Faciemus ut quod viderit non viderit.*
[*non* omnes codices, quod nescio qua causa cum Prisciano omnes editores in *ne* mutarint. Prisciani *ne* non felicius est quam eiusdem in eodem versu *videat.*]

369. *numquam hercle deterrebor*
Quin viderim id quod viderim.

Ad certas enim res praeteritas hae sententiae non minus respicere videntur quam

Mil. 345. *volo scire, utrum egon id quod vidi viderim.*
588. *†Quin id adimatur ne id quod vidit viderit.*
[*quin id* A. *quod in* P.]

Nam neque in verborum collocatione haec modorum variatio posita est, cum eadem sit in Mil. 149 et 588, neque in metro, cum nil prohibeat, quominus in Mil. 149 scribamus *quod vidit id non viderit* et in 345 *utrum ego viderim quod viderim.* Id autem interest, quod in praesenti et praeterito tempore indicativi exempla versantur, in futurum autem tempus coniunctivi exempla iam primariae sententiae verbo reiiciuntur. In quod secundariae sent. item attrahuntur ut fit in

Mil. 572. *Posthac etiam illud quod scies nesciveris*
Nec videris quod videris.

vel in ex. quae pp. 149 et 147 attuli: Rud. 1295 et Merc. 912—3 et Rud. 1128. In Mil. 149 igitur infinitam et futuri temporis sententiam esse sentio: *quodcumque viderit.* In Mil. 370 autem etiamsi definitam et praeteriti temporis enuntiationem esse *id quod viderim* propter additum correlatum contendas, coniunctivus, ut mox reperiemus, suo loco est post regentem sententiam *quin viderim.*

---

3. Temporales sententiae.

Coniunctivus non solum in rebus sumptis vel iteratis

usurpatur, sed etiam, atque id saepius, si in incertum tempus futurum res certa reiicitur [1]).

a. Praesentis coniunctivus.

a[1]. Regenti sententiae interiecta est tempor. sent.

Amph. 542. *Numquid vis?* ‖ *Ut* *quom* *absim* *me* *ames.* Ps. 1115. *Ne quom adsiet metuam.* Aul. 278. *ut* — *facta quom veniat sient.* Most. 1064. *ut quom* — *vocem* — *exiliatis;* St. 113. *ut* — *quom ambulent* — *opturent.*

As. 944. *Nec quisquamst tam ingenio duro* — *Quin,* *ubi* *quicque occasionis* *sit,* *sibi faciat bene.* [*quaque* B, *quicque* DEJ]. Aul. 613. *ne* — *morer, Quin ubi accersat* — *filiam ducat domum.* Truc. 230. *Quin ubi nil det* — *mittat* — *domum.* Mil. 3. *Ut, ubi usus veniat,* — *Praestringat.* 1122. *ut ubi illaec prodeat me provoces.* Persa 230. *ne, ubi* — *fias,* — *servias.* Poen. 854. *do tibi operam hanc.* ‖ *Quo modo?* ‖ *Ut enim, ubi mihi vapulandum sit, tu corium sufferas.* [*sit* recte A, *est* P, *est tu⟨te⟩* prave Curio, Reiz, Becker Studem. Stud. I, 1, p. 239.]

Bacch. 768. *ut* *quando* *exeat* — *dem.* Poen. 552. *ut quando agas quid aga[n]s sciant.* [*agant* libri, corr. Acid.] Truc. 432. *(volo) ut, quando otium Tibi sit, ad me revisas[t].*

Curc. 663. *ego dotem dabo.*
‖ *Quid dotis?* ‖ *Egone? ut semper,* *dum* *vivat,* *me[d] alat.*

Cfr Capt. 448. *ut quam primum possis redeas.*

Coniunctivus agnoscendus est etiam in

Ps. 579. *Ita paravi copias,*
— *ut* *ubiquomque* *hostibus* *congrediar* — *ut vincam.*

---

[1]) Cfr Rodenbusch p. 48.: «quaecumque enim sunt futura eadem minus certa sunt quam praesentia».

Cas. 464. *Ut tibi, dum vivam, bene velim —.*

a². Sequitur temporalis sent.

Aul. 273. *curata fac sint quom — redeam.* St. 65. *Facite sultis nitidae ut aedes meae sint, quom redeam domum.* Curc. 252. *parasito ut sit paratum prandium, Quom veniat* [*veniat* ex *veniet* B]. Most. 249. *Ornata ut sim, quom huc ⟨ad⟩veniat Ph.* Poen. 27. v. p. 149. Ps. 168. *ne mora quae sit, cocus quom veniat.* — Amph. 981. *haec curata si[e]nt Fac sis — Atque ut ministres —, quom sacruficem.* Capt. 494. *irrogabo multam, ut mihi cenas decem Meo arbitratu dent, quom cara annona sit.* Cas. 133. *Unde auscultare possis, quom ego illam ausculer.*

Rud. 1218. *Fac ut exores Ph. -- ut mi Ampelisca nubat ubi ego sim liber.* Cfr p. 92—93.

Bacch. 730. *ut pater cognoscat litteras, quando legat.*

Persa 494. *faciam ut mei memineris, dum vitam Vivas.* [*vita* CD]

Post *priusquam* est coni. Ep. 277, Rud. 456.

Coni. agnoscendus est etiam in

Ps. 663. *Sed vide sis ne in quaestione sis quando accersam mihi.* [*arcessam* P]

a³. Inter primariam et regentem sententiam temporalis sent. intercedit.

Potentialis quidem esse potest coni. post *quom* = *si* in

Bacch. 139. *Non par videtur neque sit consentaneum,*
†Quom haec intus (intus) sit et cum amica accubet
Quomque osculetur et convivae alii accubent,
Praesentibus illis paedagogus una ut siet.

[v. 140 corruptus] cfr p. 124, 2;

itemque post ***dum:***

Poen. 883. *At ego hoc metuo, Milphio*
|| *Quid est quod metuas?* || ***Dum ero insidias paritem ne me perduim.***

[*pariter* A, *parilem* P, *paritem* T; *me perduim* A, *a te perdiam* P, corr. Acid.]

Sed verum est attractionis exemplum:

Rud. 499. *Deosque immortalis quaeso, dum vivas, uti*
Omnes tui similes hospites habeas tibi [1]).

a⁴. Quin in uno exemplo etiam verbo primariae sententiae antecedit temporalis sent.

Merc. 344. *Neque is quom roget quid loquar cogitatumst.*
[*Nequis — cogitat unde est* B]

In nullo tamen coniunctivi exemplo a temporali sententia periodus incipit.

b. Perfecti coniunctivus.

b¹. In una tantum enuntiatione temporali verbi species coniunctivum esse arguit et quidem quae regenti sententiae interiecta est:

Men. 1045. *Ne tum, quando sanus factus sit, a me argentum petat.*

[*nec dum* B, *nedum* reliqui, *ne tum* Lamb.]

---

[1]) In exemplo autem quod est

Aul. 790. *Qui homo culpam admisit in se, nullust tam parvi preti,*
Quin pudeat, quin purget sese:

editores sententiam potius corruperunt quam correxerunt coniectura Bothii *quom* pro priore *quin* recepta. Lyconides enim adulescens non ideo maxime ad Euclionem venit ut se purget sed ut fateatur se peccasse et veniam petat (791 sq.: *obtestor ut siquid — peccavi — ignoscas* —): quod eius est quem pudet. In verbis *quin pudeat* rei summa posita est; quibus adnectitur asyndetum membrum *quin purget sese* item ut

Most. 147. *quin totae perpetuae ruant,*
[*Quin*] *Cum fundamento perierint* etc.,

ubi item prave Crainius aliique: *quom fundamenta p.*

cuiusmodi indicativus cum nullus exstet, coniunctivum par est accipere etiam in

Mil. 946. *Nequid, ubi miles venerit, titubetur.*

Ps. 725. *qui quando principium prehenderit,*
Porro sua virtute teneat, quid se facere oporteat.

Obliqua vis accedit in Capt. 473.

b[2—3]. Ubi autem temporalis sent. regenti sententiae aut anteposita aut postposita est, coniunctivum perfecti nusquam (nisi post *priusquam* Bacch. 175 v. p. 92—93), indicativum futuri exacti infra novies reperiemus. Quare ind. agnoscendus est etiam in St. 594; Bacch. 45, Capt. 434—5, Men. 543, Mil. 1234, Ps. 660. De Most. 147—8 supra p. 160 an.

4. C o m p a r a t i v a e sententiae.

a. Praesentis coni. est, qui ad futurum tempus sicut coni. regens pertinet.

a[1]. Regenti sententiae interiecta est comp. sent.

Capt. 343. *(misero) Qui tua quae tu iusseris mandata i t a u t v e l i s perferat.*

448. *Numquid aliud?* || *Ut q u a m p r i m u m p o s s i s redeas.*

Trin. 42. *(Venerare) Teque ut quam primum possim videam emortuam.* Cfr p. 93.

a[2]. Sequitur comp. sent.

Truc. 95. *adservate aedis,*
Nequis adventor gravior abaetat q u a m a d v e n i a t.

b[1]. Perfecti coniunctivus ad idem praeteritum tempus spectans in utraque sent. est in

Most. 966. *Vide sis, ne forte ad merendam quopiam devorteris*
Atque ibi amplius † q u a m s a t i s f u e r i t biberis.

[*quopiam* A, *copiam* P; *amplius* A, *melius cui* P, *meliuscule* Camer., *ampliuscule* scite Leo]

b^1. Incertum est utrum coni. perfecti an futuri ind. sit

Rud. 1242. *Mihi istaec videtur praeda praedatum irier,*
Ut cum maiore dote abeat quam advenerit,

nisi quod coniunctivum commendat Truc. 96.

b^2. Sed in

Ps. 882. *ita — condiam: Ut quisque — gustaverit,*
Ipsus sibi faciam ut digitos praerodat suos,

ubi a comparativa sent. periodus incipit, indicativus futuri probabilior est.

---

§§ 2. Coniunctivus a) in infinitis sententiis alieni temporis et b) in definitis vel coniunctivus apud rei sumptae coniunctivum.

a). Coniunctivus in infinitis sententiis, quae non eiusdem temporis sunt atque coni. regens, iisdem legibus quibus in definitis sententiis provenire videtur. Sed haec sola sunt Plautina exempla:

Capt. 466. *Neque ieiuniosiorem —*
Vidi nec quoi minus procedat quicquid facere occeperit.

Ps. 438. *Probum patrem esse oportet, qui gnatum suom*
Esse probiorem, quam ipsus fuerit, postulet.

Cfr Most. 966—7 supra.

b). Coniunctivus in definitis sententiis.

In definitis sententiis modus ad eum regentem coniunctivum attrahitur, cui eadem vis et significatio quae rei sumptae coniunctivo absoluto inhaeret. Quoniam autem condicionales sententias iam pp. 123—132 absolvi, restat, ut eum coniunctivum regentem tractem, qui ad absolutum coniunctivum cum indignatione interrogantis respondet. Cuiusmodi coni. est non solum in consecutiva et in

infinita sent. relativa, quae a negativae notionis primaria sententia pendent, sed etiam in causali vel concessiva enuntiatione relativa (Cfr p. 138) et omnino post *quin*.

Praemittam, ut supra p. 132—3, aliqua exempla, in quibus non tam modorum attractio est quam eiusdem coniunctivi in utraque sententia repetitio.

Men. 397. *Dic quid est id quod negem, quod fecerim?*
cfr Truc. 295. *Quid est quod — malefecerint?*
Amph. 153. *Qui me alter est audacior —,*
Iuventutis mores qui sciam, qui hoc noctis solus ambulem?

Levis attractio cogitari potest in

Persa 75. *Sed sumne ego stultus qui rem curo publicam,*
Ubi sint magistratus, quos curare oporteat?
[*sunt* Z]

Cfr As. 572 p. 155.

Excultae attractionis exemplum est

Trin. 587. *i modo* || ⟨*nullo modo*⟩
Aequom videtur, quin quod peccarim || *I modo.*
|| *Potissumum mihi id opsit.*

[⟨*nullo modo*⟩ Ritschl, *o pater* ex v. 589 libri, *peccarem* B, *peccarum* C.]

Quantum attractioni, quantum concessivae vel causali notioni tribuendum sit, non magis hic quam apud absolutum coniunctivum (v. supra p. 138) certo discernere licet. Sed, ut illic, ita hic assimilatio tum facillime fieri videtur, cum idem est utriusque sententiae subiectum.

1. **Relativae sententiae.**

Praesentis coni.

Trin. 936. *sed ego sum insipientior,*
Qui egomet unde redeam hunc rogitem, quae ego sciam atque hic nesciat;

quod exemplum conferas quaeso cum ex. p. 136 allato:

Mil. 426. *Quin ego hoc rogem quod nesciam?*

Fortior est causalis vel concessiva vis in

Poen. 867. *Quid est quod male sit tibi, quoi domi sit quod edis —?* [*tibi* om. P.]

Persa 339. *Mirum quin regis Philippi caussa —*
Te potius vendam quam mea, quae sis mea.

Ep. 168. *quid est quod pudendum siet*
— pauperem — Ducere te uxorem,
Praesertim eam qua ex tibi commemores —?

Perfecti coni.

Trin. 587. ⟨*nullo modo*⟩
Aequom videtur, quin quod peccarim —
Potissumum mihi id opsit.

Huc referre licet ex. quod supra attuli p. 157:

Mil. 369. *numquam hercle deterrebor,*
Quin viderim id quod viderim;

velut eundem coni. *viderim* in

300. *Quid tibi vis dicam, nisi quod viderim?*

supra dixi potius coniunctivo *dicam* ascribendum esse quam regenti II personae verbo *vis* (v. pp. 90—91). Cfr Mil. 554 *Quidni fateare ego quod viderim?* (p. 138) et 556 *cur negem quod viderim?* (p. 136).

Trin. 952. *Ne tu me edepol arbitrare beluam,*
Quiquidem non novisse possim quicum aetatem exegerim.

Viget causalis vis in

Capt. 257. *An vero non iusta causast, ut vos servem sedulo,*
Quos tam grandi sim mercatus praesenti pecunia?

2. Utrum *quom causali* an attractioni coniunctivus tribuendus sit in

Mil. 1342. *neque⟨o⟩ quin fleam,*
Quom abs te abeam [*fleat* BCD];

Trin. 731. *fieri ferme non potest*
Ut — perpetiar, — quom — habeam, [*quin* B]
non licet diiudicare.

3. Comparativae sententiae.

Praesentis coni.

Persa 237. *Numquam hercle istuc exterebrabis, tu ut sis peior quam ego siem.*
[*prior* libri corr. Camer.].

Poen. 276. *Quid habetis, qui mage immortalis vos credam esse quam ego siem?*

As. 434. *scio mihi vicarium esse*
Neque eo esse servom in aedibus eri qui sit pluris quam ille sit.

De quibus ex. iam p. 42—3 disputavi.

Hactenus repperimus iisdem legibus ad pendentem coniunctivum quibus ad absolutum secundarias sententias attrahi: infinitas enim sententias, quae tempore congruunt, ad omnes coniunctivos attrahi posse, definitas autem et infinitas alieni temporis non nisi ad rei sumptae coniunctivos.

Subiunctioni aliquid ita quidem tribuendum est, ut paulo constantius ad pendentem quam ad absolutum coniunctivum modi attrahantur: quod in indicativo pertractando clarius videbimus. — Sed quaeritur iam, num extra eas leges, quae apud absolutum coni. valent, coniunctivus apud pendentem proveniat, i. e. num qui coniunctivi subiunctioni ipsi ascribendi sint.

Unum re vera est dicendi genus, in quo eiusmodi coniunctivus reperiatur. Nam post coniunctivum interroga-

tivae sententiae: *quis fuerit qui* coniunctivus eiusdem temporis in relativa sententia de re vere facta provenit:

Amph. 1015. *pergam exquirere,*
Quis fuerit quem propter corpus suom stupri compleverit.

Mil. 260. *Operum — dabo,*
Qui fuerit conservos qui hodie si[e]t sectatus simiam.

Cuius coniunctivi natura aperta est, cum non magis verbum auxiliarium *fuerit* subiungatur quam relativa sententia, quae ipsa quasi interrogativa fit: *quis (fuerit qui) compleverit.*

Post praesentis coniunctivum *quis sit qui* non certa exempla habemus. Nam in

Rud. 638. *(te obtestor) Ut — dicas — quid sit, quod tumultues.*
628. *quid sit mi expedi, ⟨Quod tu⟩multues,*

iam absolute dici potest: *quid est quod tumultues?* Cfr Bacch. 92. *Quid est quod metuas?* Curc. 166. *quid est quod Palinurum voces?*

Sed ubi tempora non congruunt, ne modi quidem consentiunt:

Merc. 174. *Quin tu expedis,*
Quid siet quod me per urbem currens quaerebas modo?

(Trin. 6. *Nunc — quae illaec siet*
Huc quae abiit intro dicam.)

Nam obliquus est coni. in

Aul. 29. *Scit — quae sit quam compresserit.* v. p. 81.

Etiam alia exempla sunt, quae primo obtutu probare videntur, in subiuncta oratione coniunctivum provenire ubi ad absolutum coniunctivum attractio non fiat. — Sed illic aut prava lectio est (Rud. 636 v. p. 147) aut si diligen-

tius examinamus futuri temporis sententiae infinitae sunt (non praesentis aut perfecti):

Merc. 912—3 et Rud. 1128 v. p. 146—7; Rud. 1295 p. 149—150; Mil. 1230 p. 154; Mil. 149 et 370 p. 157.

In definita quidem sententia coni. reperitur sequente indicativo:

Ps. 927. *Sic ego illum — In timorem dabo —*
Ipsus sese ut neget esse eum qui siet.
Meque ut esse autumet qui ipsus est.
[*Si — Ipse — eum esse — aut tum et* P.]

Sed haec plane eadem est modorum arbitraria variatio in metro cretico et concessivo sententiarum nexu, quam iam cognovimus p. 11—12 in Cas. 193—4.

Causalis et concessivus est coni. in

Amph. 694. *te ut deludam —, Qui nunc primum te advenisse dicas, modo qui hinc abieris.*
Persa 391. *Ne te indotatam dicas, quoi dos sit domi.*
Poen. 91. *Vosmet nunc facite coniecturam ceterum,*
Quid id sit hominis quoi Lyco nomen siet.

Possis infinitam appellare sent. *quoi — siet* = *si quoi siet* vel *quoicumque siet* et attractioni coniunctivum tribuere.

Causali quom debetur coni. in

Bacch. 907. *ut eum dictis plurumis*
Castigem, quom haec sic — faciat.

B. Indicativus.

§§ 1. Apud simplicem coniunctivum sive finalem sive subiunctivum indicativus

I. semper retinetur a) et in definitis sententiis b) et in infinitis, quae alieni temporis sunt,

II. raro in infinitis, quae eiusdem temporis sunt atque coniunctivus regens, praesertim raro si ad futurum tempus utraque sent. pertinet.

Ia). Indicativus in definitis sententiis.

1. Relativas sententias quae huius generis sunt nil attinet omnes enumerare.

Paucas ex. gr. afferam.

a. Praesentis indicativus.

Correlatum ascriptum est.

Cas. 106. *si impetravero, Uxorem ut istam ducam quam tu deperis.* Mil. 1229. *(oro) Ut eius mihi sit copia quem amo* —. Cfr coni. 1230 p. 154. Mil. 945. *Ut — hoc quod agendumst exsequamur.* [*agendum* B]. Capt. 329. *ut ea quae sentio pariter scias.* — Mil. 1050. *(volo) ut quae te cupit eam ne spernas.* [*qui* BCD]. As. 256. *cave tu idem faxis alii quod servi solent.* — Ps. 450. *exquaerere, Sint illa necne sint quae tibi renuntiant.* [*negnes ini* P, *vera necne* A]

Etiam ubi in nexu sententiarum aliqua est concessiva aut causalis vis, indicativus passim servatur:

St. 674. *Mirum videri nemini — volo —*
Quid ego hinc, quae illic habito, exeam.

Most. 598. *quoi — licet* [*liceb(it)* A(P). corr. Stud.].

Rud. 278. *(amplectimur genua ut recipias nos) Quibus nec locus ⟨n⟩ullus nec spes paratast.*

Men. 302. *Non scis quis ego sim, qui tibi saepissume*
Cyathisso apud nos?

Vacillant codices in

Men. 299. *Sed ubi ⟨tu⟩ me novisti? ‖ Ubi ego te noverim,*
Qui amicam habes eram meam hanc E.?
[*habes* A, *habeas* P]

cfr Cas. 618 p. 137.

Variantur modi in Ps. 927—930 ut supra vidimus p. 167.

Correlatum omissum est:

Amph. 878. *Faciamque ut uno fetu et* *quod gravidast* *viro Et me quod gravidast pariat sine doloribus.* 970. *ut apparentur* *quibus opust?* [*opus* B]. Men. 955, Merc. 565, Mil. 356; — Curc. 159. *Ne quod hic agimus erus percipiat fieri.* — Mil. 345. *volo scire, utrum egon id quod vidi viderim An illic faciat, quod facturum* *dicit*, *ut ea sit domi.*

Ep. 456. *Animum advorte, ut quod ego ad te* *advenio* *intellegas* [*advenio* A, *venio* P.]

Iam in annot. ad p. 60 commemoravi, quantopere erraret Draeger, cum in hoc exemplo coniunctivum requireret, quem prorsus non licet adhibere.

Indicativus, quamquam vacillant codices, retinendus est in

Truc. 722. *ut narem* *quae volo.*
[B *volom*, C *volti*, D¹ *volu.*]

Mil. 597. *Sinite me prius prospectare, ne uspiam insidiae sient,*
Concilium *quod* *habere* *volumus*, [*volimus* A]

quae sententiae definitae sunt ut

Men. 427, Trin. 979,

Capt. 383. *animum advortas volo,*
Quae *nuntiare hinc te* *volo* —.

Ps. 470. *Mea ut migrare dicta possint* *quo volo.* [*quae* A]

b. Perfecti (vel plusqpf.) indicativus.

Aul. 32. *id ea faciam gratia,*
Quo ille eam facilius ducat *qui compresserat.*

cfr coni. obliquum v. 29. *scit — quae sit quam compresserit.*

Merc. 488. *Achillem orabo, aurum ut mihi det, Hector qui expensus fuit.* [*ut* om. P]. Aul. 278. *Ibo intro, ut erus quae imperavit facta quom veniat sient.* (cfr obl. coni. Trin. 1105 p. 92). Aul. 63. *(metuo) Neu persentiscat, aurum ubist absconditum.* Mil. 96. *Id volo vos scire, quo modo ad hunc devenerim In servitutem ab eo quoi servivi prius* [*devenerit,* corr. B²D²]. De Trin. 7 et Merc. 175 v. p. 166.

Cum coniunctivi exemplis, quae p. 164 vidimus Mil. 300, 370, haec indicativi ex. lubet conferre:

Mil. 187. *Ut eum qui se hic vidit verbis vincat, ne is se viderit.*

[sic A, *hic se v. vervis* (-*i* B) *vincta vinctane esse* P].

345. *volo scire, utrum egon id quod vidi viderim*

[*sciret — ergo vidit viderit* B¹; *ego* CDB²]

588. *Qu⟨o⟩in id adimatur ne id quod vidit viderit.*

[*Quin id* A, *quod in* CD, *quod..* B¹, *quod ei* B², corr. Ribbeck.]

226. *cedo — consilium cito,*
Quae hic sunt visa ut visa ne sint, facta ut facta ne sie⟨n⟩t

[*tuis aut* B, *vis aut* CD, corr. Cam.; *tui sane* BCD, *visa ne* F]

Causalis vis est in

Rud. 516. *Bonamst quod habeas gratiam merito mihi,*
Qui te ex insulso salsum feci opera mea.

278.

Adversativa in

Trin. 141. *(subigis me) adeo ut quo⟨d⟩ meae concreditumst[m]*
Taciturnitati clam —

—44. *Ut mihi necesse sit iam id tibi concredere.*

[*concreditum sim* B, *-tus sim* CD, *-tum sit* FZ, corr. Camer. Coniunctivum metrum non patitur.]

c. Definitae sententiae hae quoque iudicandae sunt, quae ad futurum tempus pertinent,

non solum ubi praesens tempus instantem rem significat:

Most. 396. *Potin ut — facias quod iubeo?*
= *hoc quod iubebo*, non = *quodcumque* (Bacch. 990[c] et 993 v. infra),

sed etiam ubi futuri indicativus est:

Aul. 210. *Quaeso quod te percontabor, ne id te pigeat proloqui.*

Rud. 634. 629 *(teque oro) Ut te ne pigeat dare operam mihi quod te orabo, senex.*

Nam certas res spectat is qui loquitur, de quibus interrogaturus est.

Most. 1095. *Ne enim illi huc confugere possint quaestioni quos dabit.*

Servos enim spectat is qui loquitur, quos ut ex v. 1087 apparet senex se daturum esse pollicitus est. Etiam in

Curc. 432. *Tecum oro et quaeso, qui has tabellas adferet Tibi, ut ei detur quam istic emi virginem,*

credibile est, certum hominem spectasse eum qui hanc epistulam conscriberet.

In Bacch. 989[a] autem quantum video ratione caret futuri indicativus qui est in B:

volo ut quod iubebo facias;

e syntactica ratione bene defenditur praesentis indicativus ceterorum codicum, quamquam regenti sententiae interpositus est: *volo ut quod iubeo facias.* Certam enim rem spectat (*ades* 990[b]) ut in 990[c] *quod iubeo id facias* et 993 *At enim id quod te iubeo facias.* Sed nexui sententiarum bene consuluit Ussingius duce Ritschelio inducens verba *[ut quod iubeo facias]*.

2. Temporales sententiae indicativum servant,

a. quae praeteriti temporis sunt.

Capt. 241. *nunc obsecro te hoc unum:*
—7. *Ne me secus — honestes quam quom servibas mihi.*
Men. 1032—3, Cas. 560, Most. 268. De Most. 80 infra;

b. quae praesentis temporis sunt.

Ne eas commemorem sent, quae in causalem vim abierunt ut Men. 832, Rud. 244—5, huc pertinent temporales sent. quae incipiunt a *dum* et *priusquam* [1]). Nam licet ad futurum tempus quodam modo hae sent. referantur, tamen praevalet notio praesentis vel tantum non praesentis.

Post *dum* = „so lange" coniunctivum vere futuralem supra repperimus: Curc. 664 *dum vivat,* Rud. 499 *dum vivas* itemque in Poen. 884 post *dum* = *si.*

Iam indicativum reperiemus semper retineri post *dum* = „jetzt so lange" de certa re aut iam incepta aut instanti: sequitur temp. sent. in As. 914 *Atque interea ut decumbamus suadebo, hi dum litigant.* Rud. 123, 774, 880; praecedit in Poen. 1421, Ps. 921; interposita est in Mil. 595 *Ibo intro: ne, dum absum † multae sortitae fiat [multi sortito fuam* P (*multis* B[2], *fortita* D)*].* Cfr coni. futuralem Amph. 542. *ut quom absim me ames* p. 158.

Post *priusquam* indicativus praesentis aut perfecti eo attinet, ut rem quasi instantem et iam tantum non praesentem oculis proponat.

As. 448. *nunc adeam optumumst prius quam incipit tinnire.*
Mil. 1408. *ut — audias prius quam secat.*

---

[1]) In Mil. 1328 legendum est *lacrumo[m]* cum Ribbeckio, non *lacrumem.*

Poen. 1399. *(Volo) Ut ⟨m⟩inam mihi argenti[m] reddas, prius quam in nervom abducere.*

Incerta est lectio in Most. 327, sed non spernenda Leonis coniectura *co⟨ncumb⟩imus.*

Perfecti ind. est in

Most. 78. *Facite huc ut redeat noster — senex — priusquam omnia Periere,*
[*pertere* CD[1], corr. D[2], *perierint* Z.]

3. Comparativae sent.

Indicativus semper usu venit, ubi comparatur id quod re vera est aut factum est. Pauca afferam ex.

Praesentis ind.

Capt. 443. *Opsecro, infidelior mihi ne fuas quam ego sum tibi.*
Men. 192. *Superas facile, ut superior sis mihi quam quisquam qui impetrant.*
Cas. 157. *Faciam, uti proinde ut est dignus vitam colat.*
Aul. 793. *(te obtestor) Ut — eam — uxorem mihi des, ut leges iube[a]nt.*

Pravum coniunctivum codicum correxit Valla.

Ubi verbum modale est, ut *oportet* in

Bacch. 399. *nunc certamen cernitur,*
Sisne necne ut esse oportet,

dubites, utrum definitam esse dicas sententiam an infinitam.

Perfecti ind.

Capt. 931. *fecisti ut tibi — numquam referre gratiam possim satis,*
—3. *Proinde ut tu promeritu's de me et filio.*
Persa 616. *Scio ego officium meum, ut, quae rogitet, vera ut accepi eloquar,*

ubi coniunctivum et indicativum in eodem exemplo videmus: *ut, quaecumque rogitet, vera ut iam a vobis accepi eloquar.*

4. Causales sententiae suos modos retinent.

Rud. 244. *Tu facis me quidem ut vivere nunc velim,*
Quom mihi te licet tangere.
[*Quom* A, *quam* P.]

Men. 832. *Quid mihi meliust quam, quando illi me insanire praedicant,*
Ego me⟨d⟩ adsimulem insanire.

As. 832. *Possum — inducere animam, e aegre patiar, quia tecum accubat,*

Bacch. 521. *exorabo, Chrysalo — Pater ne noceat — quod eum ludificatus est.*

1019; Cfr Ep. 456, Capt. 430. In Bacch. 1072 *ne miremini Quod non triumpho: pervolgatumst,* Amph. 116, Poen. 1373 ad modum nil interest, utrum absolutum esse dicas coniunctivum *ne miremini (mirere)* an finalem.

Poen. 950. *Deos — veneror —,*
Ut quod de mea re huc veni, rite venerim.

5. Concessiva est sent., quae in re vera versatur:

Capt. 321. *Ne patri, tametsi unicus sum, † decere videatur magis Me — servire.*

Ib). Indicativus in infinitis sententiis, quae cum regentis coniunctivi tempore *non* congruunt.

1. Condicionales sententiae.

a. Perfecti ind. semper retinetur.

Detestationis exempla vix opus est commemorare ut: Men. 816—7. *Si — penetravi — exopto ut fiam — miserrumus.*

Post *si* = wenn wirklich est ind. in

Bacch. 528. *Nam illud animus meus miratur, si a me tetigit nuntius, Quid remoretur.*
[*nunc illuc — si iam tetigit* A, *remoratur* P]

Indicativus est modeste concedentis, se aliquid re vera fecisse;

Ep. 728. *oro te, Epidice,*
Mihi ut ignoscas, siquid — peccavi —.

Aul. 791—3, Bacch. 1013—4, Poen. 1411—2, Trin. 1168.

At perfecti indicativus non solum in singulis verisque rebus actis servatur sed etiam in iterativis periodis:

Ps. 109. *Scis tu quidem hercle, mea si commovi sacra,*
Quo pacto et quantas soleam turbelas dare.

Commemcravi p. 90 obliquo coniunctivo non opus esse post *scis* = *cogitato.* Iam videmus ne assimilato quidem coniunctivo locum esse, ubi tempora non congruunt.

Amph. 635. *Ita di⟨vi⟩s est placitum, voluptatem ut maeror comes consequatur:*
Quin incommodi plus malique ilico adsit, boni si optigit quid. cfr p. 85.

b. Ad praesens tempus condic. sent. respicit, ad futurum aut perfectum coni. regens.

Curc. 33. *nemo hinc prohibet nec vetat*
Quin quod palamst venale, si argentumst, emas.

Rud. 629. *teque oro et quaeso, si speras tibi —,*
—34. *Ut te ne pigeat dare operam mihi —.*

De v. 635—6 p. 147—8 disputavi.

700. *Ne — idcirco nobis vitio vortas,*
Si quippiamst minus quod bene esse lau⟨tum⟩ tu arbitrare.

1256. *At ego deos quaeso, ut quidquid in illo vidulost,*
Si aurum, si argentumst, omne id ut fiat cinis.

Huc etiam pertinet

Amph. 324. *Si in me exercituru's, quaeso in parietem ut primum domes.*

= si tibi certum est exercere.

Absoluta est condicio in Amph. 1105.

2. Temporalis sententia

Ps. 817. *Teritur senapis scelera, quae illis qui terunt*
Prius quam triverunt oculi ut extillent facit,
[*triveront* — *extil(le)nt* A *extilient* B *exilient* CD]
cum iterativis ex. Ps. 109—10 et Amph. 635—6 supra allatis comparanda est.

3. Infinitae sent. relativae.

a. Perfecti ind..

In initio periodi:

Poen. 21. *Diu qui domi otiosi dormierunt, decet*
Animo aequo nunc stent.

In extrema periodo iterativa post coni. interrogationis indirectae ut supra in Ps. 109:

Amph. 104. *Nam ego vos novisse credo iam ut sit meus pater,*
—6. *Quantusque amator si[e]t quod complacitumst semel.*

b. Praesentis indicativus.

Rud. 1256. *deos quaeso, ut quidquid in illo vidulost,*
Si aurum, si argentumst, omne id ut fiat cinis.

Rem veram haec infinita sententia comprehendit, ut

Mil. 278. *(Metuo) ne hercle hodie quantum hic familiariumst*
Maxumum in malum — insuliamus.
[*quantumst familiarium*]

His exemplis e syntactica ratione defenditur indicativus in

Ps. 169. *Ego eo in macellum, ut piscium quidquid* ⟨*ibi*⟩*st pretio praestinem.*

[*est* P, *ibist* Ritschl fort. cum A (cfr Rud. 1121)]
Nam indicativo in his sententiis, quae ad praesens tempus respiciunt, ne id quidem obstat, quod regenti sententiae interiectus est. — Coniunctivus *quidquid sit*, quem propo-

suit Brix Nov. Annal. vol. CXV p. 329 probante Ussingio, Goetzio (1887) ad futurum tempus rem refert = *quidquid inveniam.*

Prae explicativa notione infinita notio recedit in his sent., quae ad substantiva se applicant:

Trin. 653. *ne omnino inopiam*
Cives obiectare possint tibi quos tu inimicos habes.

Rud. 618. *Vindicate, ne impiorum potior sit pollentia*
Quam innocentum, qui se scelere fieri nolunt nobiles.

A parenthesi non longe distat sententia illa *quisquis est (es),* ubi certum hominem, quamquam ignotum, designat.

Amph. 1075. *Ibo ut cognoscam quisquis est.*

Ps. 924. *(faxit Iuppiter) Ut ille palam ibidem ad⟨s⟩iet,*
Quisquis illest qui adest a milite.

Rud. 256.

4. Comparativa sententia.

Capt. 737. *Atque hunc me velle dicite ita curarier*
Nequi deterius huic sit quam quoi pessumest.

Indicativus hanc sententiam in praesenti tempore detinet; coniunctivus ad regentis sententiae tempus i. e. ad futurum tempus rem referret.

5. Interrogativarum enuntiationum in coniunctivo tractando rationem fere non habui, quia coniunctivum interrogativum et assimilatum non licet discernere. — Praesentis quidem indicativum reperimus non assimilari in

Ps. 696ᵃ. *id tu modo me quid vis facere fac sciam.*
[*fac sciam* AB, *faciam* reliqui]

[696ᶜ *omnia — tu modo quid me facere vis fac ut sciam.*]

Sed neque absolutas et pendentes interrogationes satis licet distinguere (In St. 105—6 et Rud. 1023 cum Leone interpungo: *oportet?* et — *fur sum?*) neque definitas sent.

relativas ab interrogativis (ut in Ep. 437 *Cave praeterbitas — quin roges, senex hic ubi habitat.*)

Non mirum est in his infinitis sententiis semper indicativum servari, cum ad id quod re vera est (fit) aut factum est omnes respiciant. — Transeamus ad id genus sententiarum, quod coniunctivi proprium esse supra repperimus.

II. Indicativus in infinitis sententiis quae cum regentis coniunctivi tempore congruunt.

IIa. Ad futurum tempus utraque sententia respicit.

Indicativus in secundaria sententia semper servatur, si ab ea periodus incipit, etiam ceteroquin haud raro si regenti sententiae praecedit, raro si regentem coniunctivum sequitur, perraro si regenti sententiae interposita est.

1. Condicionales sententiae.

a. Futurum simplex est:

a[1]. A condicionali sententia periodus incipit:

Rud. 1137. *[Sed] Si* ***erunt vera****, tum opsecro te ut mea[m] mihi reddantur.*

(Audito coniunctivo regenti

Capt. 209. *Immo edepol, si erit occasio, haud dehortor.*

Ad detestationis exempla referenda sunt

Capt. 625. *Hoc si secus reperies, nullam causam dico, quin mihi — libertatis apud te deliquio siet.*

Most. 433. *Verum si posthac — S⟨c⟩ies, hau causast, ilico — quin facias.*)

In ceteris ex. verbum primariae sent. est *facere (ut)* cum coniunctivo.

In Cas. 146. *Vir siquid volet me, facite hinc accersatis,* verba *facite accersatis* simplicem imperativum circumscribunt: quin indicativum condicionis cum imperativo *facite* coniungere licet. Simile est

St. 148. *Si ab viro tibi forte veniet nuntius, facito ut sciam.*

In Trin. 881—2. *Si — placide percontabere, — faxo scias,*
[*percunt.* B, *percunct.* ceteri; *faxos* B]

verba *faxo scias* futurum circumscribunt.

In Ps. 949. falso, credo, editores *si effici⟨e⟩s.* V. infra.

a². Condicionalis sent. inter primariam et regentem sententiam intercedit:

Capt. 747. *At unum hoc quaeso, si huc rebitet Ph.,*
Ut mi eius facias conveniundi copiam.

Trin. 1042. *Et metuo, si conpellabo, ne aliam rem occipiat loqui.*
[*Sed* libri, *Et* Acidalius]

a³. Sequitur condicionalis sent.

Indicativus verbi *velle* est in

Capt. 920. *Dicam, ut sibi penum alibi adornet, siquidem sese uti volet.*
[*alibi adornet* A (ut Studemundo visum est), *aliud ornet* P]

In duobus exemplis coniecturis quamvis probabilibus indicativus debetur: post *facito* in

Poen. 1084. *Facito sis reddas, etsi hic habit⟨abit⟩, tamen;*
[*facite* ante corr. B; *habit* BCD, *habet* FZ, add. Pyl.; *habit⟨at⟩* Bothius]

post *cave* in

Trin. 1011. *Cave sis tibi ne bubuli in te cottabi crebri crepent,*
Si ab[i]eris ab eri quaestione.

Nam et in Poen. 1084 facillimum est cum Pylade supplere *habit⟨abit⟩* et in Trin. 1072 correctionem Camerarii *si ab[i]eris* commendat parechesis verborum *aberis ab eri.*

Post *nisi quis* indicativus restat in

Capt. 791. *Eminor interminorque, ne [quis] mihi obstiterit obviam,*
Nisi quis satis diu vixisse sese homo arbitrabitur.
[*arbitratur* B]

a⁴. Quin post *nisi quod* in uno enuntiato, quod vel condicionale vel relativum appellare licet, indicativus futuri servatur, quamquam intra partes regentis sententiae positum est:

Amph. 608. *Cave quicquam, nisi quod rogabo te, mihi responderis.*

Dixeris *cave* esse nihil aliud quam *ne.* Sed etiam sic coniunctivum supra repperimus in

Most. 284. *is nequid emat, nisi quod sibi placere censeat.*

Atque licet in Amph. 608 futuri indicativus *rogabo* prope accedat ad definita enuntiata, quae attuli p. 171 Aul. 210, Rud. 634, vere infinita sententia est in Capt. 791 *nisi quis — arbitrabitur:* quae duo exempla inter se defendunt. Item, quamquam audito regenti coniunctivo, praesentis ind. in sent. vere infinita nobis occurrit in Truc. 801.

Si iam comparamus indicativos post *nisi* cum relativo, quos attuli p. 141: As. 724, Persa 636, 132, et indicativum post *nisi* in Bacch. 426 p. 120, reperimus in ipso verbo *nisi* iacere indicativi explicationem. Nam coniunctivum assimilationis invenimus post simplex verbum *nisi (ni)* numquam, post *nisi quod* bis tantum: Most. 284 (v. supra) et Mil. 300. *quid tibi vis dicam, nisi quod viderim?*

b. Futurum exactum est.

A condicionali sent. periodus ubique incipit.

Detestationis exemplum est Aul. 250—1; verbum primarium est *faciam (ut)* in Capt. 64—5 et Ps. 212—3,

faxo in Men. 112—3 (*faxis* fut. exact., non coni.), *cavetó (ne)* in

As. 371. *pugno malam si tibi percussero,*
Mox quom † Sauream imitabor, caveto ne suscenseas.'

De Trin. 1012 supra disputavi p. 179.

c. Praesentis indicativus est.

c[1]. Absoluta praecedit cond. sent. in

Capt. 103. *Nam ni illum recipit, nil est quo me recipiam.*

Cfr Amph. 849 sq. Ad praesens pro futuro adhibitum cfr Ps. 375 (*adfert* A. *aderit* P.), Trin. 156, ne alia ex. commemorem.

Ps. 949. *immo si efficis, tum faxo magis dicas.*
[*effici* B, *efficis* CD]

'Metri causa' editores cum Hermanno *effici⟨e⟩s* et cum Ritschelio *⟨id⟩ dicas* scripserunt. Sed ut codices sequamur, metrum ipsum suadet. Non viderunt enim editores, anapaestos in duos versus Reizianos exire:

949. *Lepide áccipis me* ‖ *Immo si éfficis tum faxó magis dicas.*
‖ *Nisi effécero, cruciabíliter car- nifėx me accipito.*

c[2]. Sequitur cond. sent.

Indicativus de instanti re usurpatur in

Mil. 295. *ut pereas paratumst —, nisi supprimis Tuom stultiloquium.*

Aul. 585. *cave sis tibi,*
Ne tu in[me]mutassis nomen, si hoc concreduo.

= *quom iam hoc concreduo.* Nam de certa et statuta re agi indicant quae antecedunt verba: *ibi abstrudam probe.*

Praeterea indicativus verbi *posse* paene in parenthesi servatur

Rud. 890. *ibo —, ei advocatus ut siem,*
Siqui mea opera citius addici potest,

etiam regenti sententiae interiectus:

Mil. 1084. *sinite abeam, si possum, viva a vobis.*

Poen. 395. *(Opsecro) Ut — irata ne sis, aut, si id fieri non potest,*
Capias restim —.

---

2. Temporales sententiae.

a[1]. Futurum simplex retinetur, si a temporali sententia periodus incipit: indicativos enim duos [1]), coniunctivum nullum invenimus.

Bacch. 36. *Ubi me fugiet memoria, ibi tu facito ut subvenias, soror.*
[*fugiet* B, *effugiet* CD, *effugerit* FZ]

Truc. 418. *ubi illud quod volo*
Habebo ab illo, facile invenio, quo modo
Divortium — inter nos parem.
[*invenio* B, *inveniam* ceteri]

Non mirum est in Bacch. 36 indicativum adhiberi, cum *facito ut subvenias* idem sit quod *subvenito*. Et in Truc. 419 fortasse verum est *inveniam*. Coniunctivum autem provenire posse et regenti sententiae et verbo primariae sententiae antecedentem ostendit (v. p. 160)

Merc. 344. *Neque is quom roget quid loquar cogitatumst.*

a[2]. Bis temporalis sententia inter primariam et regentem sententiam posita est.

Rud. 557. *tibi quidem edepol copiast,*
Dum lingua vivet, qui rem solvas omnibus.

---

[1]) In As. 371. *pugno malam si tibi percussero,*
Mox quom Sauream imitabor, caveto ne suscenseas.
temporalis sententia proxime condicioni *si — percussero* subiungitur.

Persa 383. *Verum videto, me* ***ubi voles*** *nuptum dare,*
Ne haec fama faciat repudiosas nuptias.
[*violes* C ante ras. D[1]Z.]
(Coniunctivum in tribus ex. p. 159—60 repperimus.)

a[3]. Quin bis temporalis sent. regentem coniunctivum sequitur:

Merc. 492. *unde erit argentum quod des,* ***quom poscet*** *pater?*
145. *Dic mihi an boni quid usquamst, quod quisquam uti possi⟨e⟩t*
Sine malo omni aut ne laborem capias, ***quom*** *illo uti* ***voles****?*

At in Rud. 557—8 et Merc. 492 temporalis sententia vix pendet, sed ad indicativum primariae sententiae proxime se applicat: *copiast dum — vivet (= poteris dum vives)* et *unde erit arg. quom poscet?* (itemque in Truc. 418—9 si legendum est *inveniam*); in Persa 383 et Merc. 146 verbum est *voles,* cuius verbi indicativus et omnino liberius retinetur et in Merc. 146 eo licentius usurpatus est, quod II personae est ad universale subiectum spectans.

Prave Lange l. l. p. 39 indicativum et coniunctivum promiscue ait usurpari in Cas. 133 sqq. Iungendum enim est cum G.-S, et Leone

133. *Unde auscultare possis,* ***quom*** *ego illam* ***ausculer.***
Quom *mihi illa* ***dicet:*** *„mi animule* etc.",
—9. *Quom mihi haec dicentur tum tu — vorsabere.*

Non est igitur, cur non coniunctivum esse iudicemus in Ps. 663. *Sed vide sis ne in quaestione sis quando accersam mihi,*
quod certo diiudicari posse Lange negat. Nam, ubi temporalis sent. aut sequitur aut interiecta est, futurum simplex vere subiunctum non reperimus servari nisi verbi *velle.*

b. Liberius saepiusque futuri exacti indicativus retinetur. Quin cum in uno tantum enuntiato regenti sententiae interiecto certum coniunctivum habeamus, novies certum indicativum reperiemus:

b[1]. ter a temporali sententia periodus incipit.

Mil. 942. *Ubi facta erit conlatio nostrarum malitiarum*
⟨H⟩aud vereor ne nos — pervincamur.
[*militiarum* libri, *mal.* Z]

1176. *Quom extemplo hoc erit factum, ubi intro haec abierit, ibi tu ilico*
Facito ut⟨i⟩ venias — huc —. [*veniat* P]

1184. *Quid? ubi ero exornatus, quin tu dicis quid facturus sim?*
[*quid abiero* B, *quit ubi ero* CD, *sum* A]

b[2]. semel inter primariam et regentem sent. temporalis sent. intercedit.

Ep. 276. *quam ad rem istuc refert?* ‖ *Rogas?*
Ut enim praestines argento —.

—9. *Ubi erit empta, ut aliquo ex urbe amoveas.*

b[3]. quinquies in temporalem sent. periodus exit.

Aul. 76. *neque quicquam meliust mihi,*
Ut opinor, quam ex me ut unam faciam litteram
Long⟨am, me⟩um laqueo collum quando obstrinxero. [*obstrixero* B[1]E.]

As. 478. *idquidem tibi hercle fiet,*
Ut vapules, Demaenetum simulac conspexero hodie.

Amph. 197. *Ea nunc meditabor quo modo illi dicam, quom illo advenero.*

Persa 86. *Ne mihi morae sit quicquam, ubi ego intro advenero.*

Rud. 1206. *adorna ut rem divinam faciam, quom intro advenero*

Indicativus intelligendus est etiam in St. 594 *ubi — abierint* [*aberint* P], Bacch. 45 *ubi — dediderit* [*dederit* FZ], Capt. 434—5 *quom — abscesseris — reliqueris*, Men. 543 *quom — veneris*, Mil. 1234 *ubi viderit*, Ps. 660 *ubi venerit.*

c. Praesentis indicativum post particulas *dum* et *priusquam* supra tractavi. Qui modus cum particula *dum* adeo coaluit, ut etiam de re sumpta adhibeatur in hac sent.:

As. 530. *Ecastor nobis periclum et familiae portenditur,*
Dum eius exspectamus mortem, ne nos moriamur fame.
= *si exspectabimus.*

Etiam post *quom* praesentis ind. ad futurum tempus spectans interdum restat, si regenti sententiae antecedit:

Most. 870. *probe tectum habebo,*
Malum quom impluit ceteris, ne impluat mi.
[*ceteros* B¹CD]

Sic defendi, credo, potest indicativus codicum in

Ps. 163. *Haec, quom ego a foro revortor, facite ut offendam parata.*
[*revortor* CD *re vertor* B]

ubi cum Ritschelio editores, exceptis G.-S., scribunt *revortar*. Ad praesens pro futuro cfr ex. gr. Ps. 375, St. 124, Merc. 459 et ex. p. 181 allata.

Quin unum est ex., quod legi Langii l. l. p. 37 contradicere videtur statuentis coniunctivum praesentis pro futuri indicativo adhiberi, cum membrum relativum interiectum sit enuntiationi quae coniunctivum habeat:

Mil. 811. *Ut quom etiam hic agit, actutum partis defendas tuas.* [*cum* CD, *nunc* B]

Recte coniecturam Ritschelii *aget* damnat Lange, nam indicativus futuri in tali nexu ferri nequit. Praesentis autem indicativus nescio an in verbo *actutum* 'sogleich'

defensionem habeat [1]), ut de re instanti et tantum non praesenti post *dum* et *priusquam* p. 172—3, (cfr Ter. Eun. 493 *imperabo: post huc continuo exeo*). Sed vacillant codices. Leo ex cod. B *nunc* recepit scribens: *ut nunc etiam hic agat ac tu tum p. d. t.* Fortasse vera est lectio codicis B *Ut nunc etiam hic agit, actutum partis defendas tuas.* „wie dieser schon thätig ist, so spiele du sogleich deine Rolle". Obscurum est quid his versibus dicatur, quia non cum fabula nostra cohaerent. Mandatur enim res quae numquam postea perficitur.

Etiam incertior est lectio in

Truc. 714. *ut gaudia cum per eis.*

Legi Langii repugnat haec coniectura Schoellii:

ut ⟨tu⟩, gaudia quom⟨paris⟩, perdas.

Sed etiamsi cum Muellero et Leone scribimus:

ut gaudeat quom perdis,

indicativus ad futurum tempus spectans offendit in sent. temp., quae regentem coniunctivum sequitur. Malim *perdas* vel *pereat.*

---

3. Infinitae sententiae relativae.

Indicativus verborum modalium nobis occurrit in sententiis, quae regenti sententiae aut praepositae aut postpositae sunt, et quidem

futuri ind. in

Men. 1044. *dicam, ut a me abeat liber quo volet.*
[*habeat* B¹C]

praesentis ind. in

Mil. 81. *Qui autem auscultare nolet, exsurgat foras,*
Ut sit ubi sedeat ille qui auscultare volt.

---

[1]) Rodenbusch l. l. p, 63 falso codicem B citat, cum scribit *Ut nunc quom etiam hic agit* et ad vere praesens tempus hoc enuntiatum refert.

Amph. 971. *I sane et* q u a n t u m p o t e s t *parata fac[ta] sint omnia.* [*potes* B²DE]

Bacch. 348. *At ego hinc ⟨eo⟩ ad illum, ut conveniam* q u a n t u m p o t e s t.

Cfr coniunctivi exempla regenti sententiae interposita, ubi adhuc idem est utriusque sententiae subiectum: Capt. 448 *ut quam primum possis redeas* et Men. 549 *Ut quantum possint — veneant.*

Cas. 206. *Sine amet, sine* q u o d l u b e t *id faciat.*

Persa 372. *Verum ei rei operam do, ne alii dicant* q u i b u s *licet.* [*done* B, *donec* CD.]

Facilius in hac sent. indicativus servatur, quia verbum *alii* definit (v. Truc. 233 p. 112—3).

Verborum n o n m o d a l i u m si quando indicativus adhibetur, propria de causa id factum est. Nam definita esse dixi p. 171 futuri temporis enuntiata relativa,

quae inter primariam et regentem sententiam posita sunt in

Aul. 210. *Quaeso* q u o d *te* p e r c o n t a b o r, *ne id te pigeat proloqui.*

Curc. 432. *Tecum oro et quaeso,* q u i *has tabellas* a d f e r e t *Tibi, ut ei detur quam istic emi virginem.*

(In Bacch. 329 autem obliquum coniunctivum *adfer⟨a⟩t* legendum esse p. 84—85 docui);

quae regentem sententiam sequuntur in

Rud. 634. *(teque oro —) Ut te ne pigeat dare operam mihi* q u o d *t e* o r a b o, *senex.*

Most. 1095. *Ne enim illi huc confugere possint quaestioni* q u o s d a b i t.

Post *nisi quod* indicativum quamquam in infinita sententia intra regentem sententiam collocata suo loco esse supra (p. 180) commemoravi in

Amph. 608. *Cave quicquam, nisi quod rogabo te, mihi responderis.*

Praesentis indicativus in definita sent. est

Most. 396. *Potin ut — facias quod iubeo?*

in infinita post *nisi quod* omisso regenti coniunctivo.

Truc. 801. *Ca⟨ve⟩ tu nisi quod te rogo [nisi].*

[*iste* pro priore *nisi* B]

---

4. Absolutae sunt comparativae sent. in initio periodi:

As. 28. *ut ipse scibo, te faciam ut scias.*

238. *Postremo, ut voles nos esse, syngraphum facito adferas.*

Ut voles, — nobis legem imponito:

Modo tecum una argentum adferto, —.

(facito adferas = adferto.)

IIb. Ubi ad praesens tempus utraque sententia pertinet liberius indicativus retineri videtur. Paucos enim eiusmodi coniunctivos repperimus (Most. 173, Trin. 210 p. 152—3; Curc. 379 p. 82; in Merc. 513 p. 154 post rei sumptae coniunctivum): apud infinitivos in priore huius disputationis parte nullum.

1. Condicionalis sent. quae praecedit in

Cist. 645. *Tu nunc, si ego volo seu nolo, sola me ut vivam facis,* [*me sola* B², *me* B¹]

ubi insuper verbum modale est. De Mil. 601 infra.

2. Temporalis sententia,

quae inter primariam et regentem sent. posita est in

Trin. 256. *Haec — quom — reputo,*

Ubi qui eget, quam preti sit parvi,

[*reputo* A, *recolo* P (*rectilo* B)]

quae sequitur in

Ps. 683. *Stulti hauscimus frustra ut s[c]imus, quom quid cupienter dari*
Petimus nobis

[*hauscimus* A, *haud scimus* P; *quod* libri, *quid* Lipsius. Cfr Cas. 618 p. 137.]

3. Relativa sententia [1]),

quae inter primariam et regentem sententiam posita est

Men. 972. *Recordetur id, qui nihili sunt, quid [i]is preti*
Detur ab suis eris. Cfr p. 84.

Cist. 12. *Lubenti[que] edepol animo factum et fiet a me,*
Quae vos arbitror velle, ea ut expetes⟨sam⟩.

In hoc exemplo praesentis indicativus *arbitror* servari potest, quia *factum et fiet a me* idem est quod *semper fit* (iterativa periodus). Metri causa editores alius alio modo correxerunt, ut tetrameter bacchiacus efficeretur, — Leo secundum Camerarium *arbitr⟨ab⟩or*. Sed non felicius quam supra in Ps. 949 *Immo si effici⟨e⟩s*. Nam ut illic ita hic metrum ipsum suadet, ut codicum lectionem teneamus. Si enim legimus

Quae vós arbitrór velle, ea ut éxpetéssam

plane idem colum Reizianum claudit versus bacchiacos 11—13, in quod brevi ante exeunt bacchiaci v. 1—4

Qui mágis potuerítis mihi honórem ire hábitum.

Sequitur rel. sent. in iterativa periodo:

Ps. 849. *Verum pro pretio facio ut opera appareat*
Mea, quo conductus venio,
[*venio* A, *veni* P]

quae sent. insuper substantivum *pretio* explicat.

4. De comp. sent. Bacch. 400 v. p. 173.

---

[1]) Absoluta est rel. sent., a qua periodus incipit in

Trin. 288. *Quod manu non queunt tangere, tantum fas habent quo manus apstineant.*

§§ 2. Rei sumptae notio regenti coniunctivo adhaeret.

1. Relativae sententiae.

In definita sententia relativa indicativus requiritur, si in nexu sententiarum nulla est adversativa vis, i. e. si explicativa est

Cas. 309. *Una — opera — condito*
—11. *Era, qua istuc opera a me impetres quod postulas.* [*quam istam* libri, corr. Brix]
Most. 433. *Verum si posthac — S⟨c⟩ies — hau causast, ilico*
Quod nunc voluisti facere quin facias mihi.
[*illico est,* trai. Scriver.]
Rud. 1397. *de talento nulla causast quin feras,*
Quod isti sum iuratus.
Cas. 239. *vix teneor quin quae decent te dicam.*
Trin. 641. *retineri nequeo quin dicam ea quae promeres.*
Persa 612—3, Ep. 171.

Recte credo Scioppium indicativum complesse in

Mil. 962. *Vah: egone ut ad te ab libertina esse auderem internuntius,*
Qui ingenuis satis responsare[t] nequeas, quae cupi⟨un⟩t tui? [*cupit uti* CD, *capiti uti* B]

cum neque adversativa vis hic compareat et substantivum *ingenuis* explicetur. Cfr Cas. 618 p. 137.

In adversativo nexu indicativus raro nobis occurrit, ubi idem est utriusque sententiae subiectum:

regenti sententiae praecedens in

Cist. 653. *Nullam — magis anum excruciabilem*
Quam illaec est: quae dudum fassast mihi quaene infitias eat?
[*fassas est* BE ante ras., V.]

regentem sent. sequens in

Ps. 564. *Quo vos oblectem, hanc fabulam dum transigam,*
Neque sim facturus *quod* *facturum dixeram.*

Cfr p. 89. [*quo* A, *quin* P]

paulo saepius ubi suum est utriusque sententiae subiectum:

Cas. 257. *Potius quam illi servo — des —,*
Quoi — nummus non est plumbeus.

Cist. 680. *Non sum scitior, quae hos rogem aut quae fatigem,*
Qui semper malo muliebri sunt lubentes.

Curc. 65. *iniuriu's,*
Qui quod lenoni nullist id ab eo petas.
[*iniuriumst* libri corr. Cam., *quid* libri corr. B[2]]

Infinita quidem specie induta est, sed re vera ad certam rem spectat relativa sententia in

Rud. 1230. *Aequom videtur tibi, ut ego alienum quod est*
Meum esse dicam?

Cfr coniunctivum, ubi idem est utriusque sententiae subiectum in Trin. 598 p. 163.

De Ep. 19. *Quid tibi vis dicam nisi quod est?* v. p. 141.

In vere infinita sent. relativa indicativus non facile retinetur nisi verbi *velle:*

Trin. 341. *Non eo haec dico, quin quae tu vis ego velim et faciam lubens.*
[*haec — quin* AB, *hoc — quam* CD]

Infinitam esse hanc sent. probabile est comparato v. 357 et As. 844. *at non eo quia tibi non cupiam quae velis* p. 154.

As. 174. *Nam neque fictum usquamst —*
Ubi lena bene agat cum quiquam amante, quae frugi esse volt.

Indicativus in hac sententia, quae substantivum *lena* explicat, suo loco est.

De Rud. 1230 supra disputavi.

Certam rem comprehendit universalis sent. quae est in

Men. 559. *Egone hic me patiar —*
Ubi vir compilet clanculum quicquid domist?

Enuntiationum collocatione absoluta est rel. sent. in

Aul. 162. *Post mediam aetatem qui media ducit uxorem domum,*
Si eam senex anum praegnantem fortuito fecerit,
Quid dubitas, quin sit paratum nomen puero Postumus?

2. In temporali sententia, quae regenti sent. interiecta est, indicativus, ut in Most. 1017—8 p. 142, restat post *dum*

Merc. 1005. *non utibilest hic locus, factis tuis,*
Dum memoramus, arbitri ut sint qui praetereant per vias. (v. p. 154.)

Solutior praecedit definita sent. temp. in St. 556 p. 23—24.

3. Condicionalis sententiae ad rei sumptae coniunctivum assimilatae nullum exemplum habemus praeter Mil. 300 post *nisi quod.* Indicativum reperimus restare in

Mil. 600. *Nam bene consultum inconsultumst, si id inimicis usuist,*
Neque potest quin, si id inimicis usuist, obsit tibi.

[601 *quin (si i)d* A, *qui* (*quin* B[2]) *nisi* P; *usui st* B, *usu est* CD; *obsi* B[1], *obsit* B[2], *obsat* D[1], *mihi* P, corr. Acid.]

Sed non mirum est indicativum in hac praesentis temporis sententia, licet regenti sententiae interiecta sit, restare, cum ex antecedenti versu simpliciter repetatur.

In Aul. 163 (v. supra) modus non dispicitur.

De Capt. 625 et Most. 433—4 v. p. 178.

4. Comparativae sententiae.

Amph. 559. *Tamen quin loquar haec* u t i f a c t a s u n t *hic,*
Numquam — me potes deterrere.

Mil. 464. *neque — quisquam tanta audacia,*
Qui aeque faciat confidenter qui⟨c⟩quam q u a m
mulier[es] f a c i [u n] t.
[*mulier facit* Luchs]

β. I m p e r f e c t i coniunctivus est in regenti sententia.

A. Coniunctivus oritur, ubi, si praesentis coniunctivus regeret, praesentis aut perfecti coniunctivus suo loco esset: velut utraque constructio inter se succedunt in

Bacch. 352. *Ita feci, ut auri* q u a n t u m v e l l e t *sumeret,*
Quantum autem lubeat reddere, ut reddat patri.

673—4. v. p. 85.

Amph. 46. *Sed mos numquam illi fuit patri meo* *,
Ut exprobraret q u o d *bonis* f a c e r e t *boni.*
[*exprobaret* B]

cfr Merc. 513. *Nec mos meust ut praedicem quod ego omneis scire credam.* (v. p. 154)

Ubi irrealis vel rei sumptae vis regenti coniunctivo inhaeret, attractio latius patet. Attrahitur enim temporalis sententia, quae a *quom* incipit, de certa re facta in

Rud. 533. *Utinam fortuna nunc anetina uterer,*
Ut, q u o m e x i ⟨ i ⟩ s s e m *ex aqua, arerem tamen.*

cfr 494 p. 121.

In concessivis sent. relativis est coni. in

Most. 493. *mirum qui⟨n⟩ vigilanti diceret,*
Qui abhinc sexaginta annis occisus foret.
[*dicerit* CD[1], *dixerit* D[3]]

Cist. 237—45 sequente post multos coni. uno indicativo in v. 247;

post *quom* concessivum:

Bacch. 283. *Adeon me fuisse fungum ut qui illi crederem,*
Quom mi ipsum nomen eius Archidemides
Clamaret dempturum esse, siquid crederem?

B. Indicativi in definitis sententiis servati satis multa exempla protuli in obliquo coniunctivo tractando pp. 79—94. Ubi enim ne obliqua quidem ratio coniunctivum elicuit, ibi etiam minus attractio. — Indicativi autem in infinita sententia servati exemplum non habeo praeter condicionalem sent.

Rud. 379 *Si amabat, rogas quid faceret?*
de quo indicativo v. p. 122.

Breviter comprehendamus, quae apud pendentes coniunctivos de eis sententiis effecimus, quae attractionis propriae sunt: infinitas dico sententias, quae eiusdem temporis sunt atque coni. regens.

Ubi regenti sententiae interiecta est secundaria sententia, coniunctivus semper fere usu venit (50ies fere): indicativus nobis occurrit ad futurum tempus spectans Amph. 608 post *nisi quod* p. 180, Merc. 1006 post *dum* p. 192; ad praesens t. pertinens Mil. 601 post *si* p. 192, Trin. 342 *quae vis* p. 191. Incertum est ex. Mil. 811 *quom — agit* (B *nunc agit*) p. 185.

Ubi regentem sententiam sequitur secundaria sententia, coniunctivus item modus legitimus est (46ies): indicativus ad futurum tempus spectans verborum modalium usu venit (futuri: Capt. 920 *siquidem volet*, Merc. 146 *quom voles*, Men. 1044 *quo volet*, praesentis: Rud. 891 *siqui — potest*, Mil. 83 *ille qui volt*, Bacch. 348 *quantum potest*, Pers. 372 *quibus licet*); — praeterea in condicione servatur futuri ind. post *nisi quis* Capt. 792, coniecturis effectus in Poen.

1084 *etsi habit⟨abit⟩* et Trin. 1012 *si ab[i]eris;* praesentis ind. de praesenti fere actione Mil. 295 *nisi supprimis* (= *supprime*), Aul. 585 *si hoc concreduo.* — In temporalibus sent. futurum exactum quinquies retinetur, fut. simplex vix (nisi Merc. 492 p. 183), praesentis ind. de instanti re post *dum* et *priusquam*, de vere praesenti Ps. 683 *quom petimus.* — In relativis sent. futurum simplex numquam retinetur (nam definitae sunt sent. Rud. 634 et Most. 1095), praesentis ind. non nisi ad vere tempus praesens spectans: Ps. 850 *quo conductus venio* [1]).

Ubi inter primariam et regentem sententiam stat secundaria sententia, multo quidem pauciora sunt coniunctivi exempla sed usus non multum sane differt. Paulo liberiorem esse indicativi usum ostendit praesentis ind. ad futurum tempus in temporali sent. spectans Most. 871 *quom impluit,* itemque post *dum* As. 531; — et duo certa hic sunt fut. indicativi in condicione servati exempla: Capt. 747 *si rebitet*, Trin. 1042 *si compellabo.* Praeterea similis exemplorum ratio est. Nam verba modalia sunt Pers. 383 *ubi voles,* Mil. 1084 *si possum,* Poen. 395, Cas. 206 *quod lubet;* fut. ex. in temporali sent. Ep. 279 (fut. simplex Rud. 558 fortasse non pendet); praesentis ind. ad vere praesens t. respiciens est in Trin. 257 *ubi qui eget*, Men. 972 *qui nihili sunt*, Cist. 13 *quae — arbitror.*

Ubi denique in initio periodi sent. secundaria posita est vel ubi saltem et regenti sententiae et verbo primario antecedit, indicativus semper fere (19[ies]) servatur: quin eo facilius quam apud absolutum coniunctivum servari potuit, quod saepissime indicativus verbi primarii intercedit inter

---

[1]) Severiorem igitur reperimus esse coniunctivi usum quam apud absolutum coniunctivum, ubi huiusmodi indicativum reperimus: Persa 524 *is emat qui eam mercabitur.* Most. 403 *Neu quisquam responset quando — pultabit senex,* ne alia ex. commemorem (v. p. 119).

secundariam sent. et regentem coniunctivum. — Coniunctivus semel in temporali sent., quae regenti sententiae proxime antecedit, adhibetur:

Merc. 344 *Neque is q u o m r o g e t quid loquar cogitatumst.* In Trin. 157 si coni. agnoscendus est, potentialis, credo, est.

Subiunctioni aliquid tribuendum esse ex hoc conspectu exemplorum apparet, cum coniunctivus domi sit et multo saepius quam apud absolutum coniunctivum usurpetur, ubi insignis est subiuncta ratio (praecipue si intra partes regentis sententiae secundaria stat), indicativus autem suo loco sit, ubi obscurior subiunctio est: in initio periodi. — Sed etiam attractioni haec ratio bene convenit. Cum regenti enim sententia proxime ea enuntiatio cohaeret, quae ei interiecta est, solutior est ea, a qua periodus incipit, praesertim si indicativus verbi primarii proxime sequitur. — Atque cum coniunctivus apud subiunctum coni. non in aliis enuntiatis quam apud absolutum proveniat, cavendum est ne subiunctioni plus quam attractioni tribuamus.

Deinde cum indicativus servari possit et ubi inter primariam et regentem sententiam intercedit, et ubi regentem sententiam sequitur, coniunctivus autem oriri possit et regenti et primariae sententiae antecedens, apparet non in collocatione sententiarum omnia posita esse — quam apud absolutum coniunctivum nullius fere momenti esse repperimus. Licet enim pro futuro simplici coniunctivus, adiuvante subiunctione, usurpetur etiam ubi res admodum certa in incertum tempus reiicitur, in universum ut apud absolutum ita apud pendentem coni. statui potest, coniunctivo aliquid incertae notionis inesse, indicativo servato rem certiorem reddi:

ut in Rud. 1137. *[Sed] S i e r u n t v e r a, tum opsecro te ut mea[m] mihi reddantur,*

verba illa *si erunt vera* cum confidentia profert Palaestra, verba autem eiusdem fabulae

1128. *Ac si istorum nil sit, ut mihi reddas*, —

cum desperatione et dubitatione facit Gripus; vel comparemus haec duo ex:

Trin. 1041. *Lubet adire atque appellare hunc: verum ausculto perlubens*
[S]Et metuo, si compellabo, ne aliam rem occipiat loqui.

1170. *metuo, si tibi*
Denegem quod me oras, ne te leviorem erga me putes.
Non gravabor: faciam ita ut vis.

Ad speciem prorsus similia sunt. Sed in illo Charmidi iam certum est compellare quamquam moratur, in hoc coniunctivum *si denegem* ad irrealem notionem appropinquare demonstrant verba quae sequuntur: *non gravabor* etc.

Vel ut in temporali enuntiatione futurum exactum fere servatur, in condicionali coniunctivus provenit itemque semel in temporali (Men. 1''45 p. 160), ubi coniunctivus suo loco est, non solum quia regenti sententiae interiecta est, sed etiam quia de re sumpta agitur (*quando* = *si forte*).

§ 3.

Res summae in brevi conspectu positae.

Obliquum coniunctivum brevius licuit tractare, quoniam eius fines iam in priore huius disputationis parte (v. p. 74—75) circumscripsimus. Neque ad usum quidquam interest, utrum ad infinitivum an ad coniunctivum se applicet. Eodem enim semper attinet, ut secundariam sententiam sive infinitam sive definitam a loquente alienam esse significet.

Pauca obliqui coniunctivi exempla illustria afferamus:

Bacch. 788. *Orabat* q u o d *istic* e s s e t *scriptum ut fieret.*

Merc. 151. *me rupi causa currendo tua,*
Ut q u a e s c i r e m *scire actutum tibi liceret.*

622. *quin percontatu's hominis quae facies foret,*
Q u i *illam* e m i s s e t?

Trin. 1105. *Iubeto Sa[n]garionem* q u a e i m p e r a v e r i m
Curare ut efferantur.

Ut ab obliquo coniunctivo in priore parte distinximus eum qui regenti infinitivo deberetur (p. 75 II), ita hic ab eo separavimus **coniunctivum, qui ad regentem coniunctivum** attraheretur: in quo tractando diutius morati sumus. Et quidem repperimus ad coniunctivum easdem sententias quas ad infinitivum attrahi atque id iisdem legibus, nisi quod apud coniunctivum diligentius iis obtemperatur.

I. I n f i n i t a e enim s e n t e n t i a e, q u a e e i u s d e m t e m p o r i s s u n t a t q u e c o n i u n c t i v u s r e g e n s, **ad** eum

attrahi possunt, cuiuscumque generis est: — in exemplis longe plurumis, ut apud infinitivos, ad futurum tempus utraque sententia pertinet, ut

As. 44. *Di tibi dent quaequomque optes.*

Bacch. 1037. *Neque ego haud committam, ut, siquid peccatum siet,*
Fecisse dicas de mea sententia;

cuiusmodi indicativus si quando servatur, eo fere attinet, ut futurum tempus apertius designet aut rem certiorem reddat: nisi verbum modale est (ut *velle, lubere, posse),* quae voces liberius restant. — Multo rarius ad praesens aut perfectum tempus utraque sententia pertinet ut

Most. 173. *Virtute formae id evenit, te ut deceat quicquid habeas.*

As. 572. *(tua — malefacta iterari multa — possunt)*
Ubi creditum quod sit tibi datum esse pernegaris,

et praesentis saltem temporis indicativus libere servari posse videtur.

II. Ad rei sumptae autem coniunctivos, sive condicionales sunt, sive interrogativi indignantium vel qui cum iis cohaerent, sive irreales, non solum omnes sent. infinitae attrahuntur sed etiam haud raro definitae [1]), quae cum regenti sententia prope coniunctae sunt: maxime in adversativo nexu, praesertim si commune est utriusque sententiae subiectum.

Haec exempla afferam:

Amph. 871. *Nam mea sit culpa, quod egomet contraxerim,*
Si id Alcumenae innocenti expetat.

Mil. 556. *vidi: cur negem quod viderim?*

---

[1]) Cum apud ceteros coniunctivos definitae sententiae non attrahantur, apparet falso Luebbertum Gr. Stud. II attractioni tribuisse coniunctivum post *quom causale* Bacch. 907. *ut eum — Castigem quom — faciat.* Cfr huius disp. p. 26 ad Capt. 146.

Rud. 533. *Utinam fortuna nunc anetina uterer,*
Ut, quom exi⟨i⟩ssem ex aqua, arerem tamen.

Apud pendentem coniunctivum facilius quidem constantiusque quam apud absolutum coniunctivus oritur, et quidem maxime constanter, ubi fortissima est subiunctio (i. e. ubi intra partes regentis sententiae secundaria posita est); sed non in aliis enuntiatis oritur quam illic, nisi quod subiunctioni soli debetur coniunctivus post interrogativam sent. *quis fuerit* — *qui*.

Loci critice tractati.

Index omnium locorum.

Addenda et corrigenda.

p. 2 l. 3 ab imo editionm lege editionem.
» 25 » 6 a. sum. vicicissi » vicissi.
» 27 » infima v. p. 22 » v. p. 23.
» 38 » 8 a sum. Most. 87 lege Most. 88.
» 48 » infima: *de sunt proditii* lege *di sunt propitii.*
» 42, 49, 53 ll. 7, 10, 4 a sum. I lege J.
» 81 l. 9 a sum. adde Trin. 550.
» » 20 » » » Capt. 473.
» 126 » 2 » » enuniationem lege enuntiationem.
» 136 » 6 ab imo den » die.
» 148 » 12 a sum *dich* » *dir.*
» 181 » 17 » » in duos versus Reizianos lege: bis in colon Reizianum.